Dissertatio Theologica

DE

PERSONA
ET
OFFICIO CHRISTI
MEDIATORIO.

Authore

ANDREA FRIDERICO FORNERETO
Hel. Lausannensi S. Sanctæ Theologiæ Studioso,
in illustri Anglorum Universitate Oxoniensi.

Phil. 1. 21. Ἐμοὶ γὰρ τὸ ζῆν, Χριστὸς, καὶ τὸ ἀποθανεῖν, κέρδος.

OXONIÆ
Excudebat HEN: HALL. Impensis Authoris 1673

PERSONA
ET
OFFICIO CHRISTI
MEDIATORIO.

TRINITY COLLEGE
LIBRARY
CAMBRIDGE

Reverendo in Christo Patri & Domino Domino

PETRO, BATHONENSI & WELLENSI

Episcopo; almæ Oxonienſis *Academiæ Vice-Cancellario illuſtriſſimo, Eccleſiæ ſalutis ſtudioſiſſimo.*

Nec non

Claritate, ſapientiâ, prudentiâ & virtute conſpicuis viris, in Eodem Athenæo tùm S. Sanctæ Theologiæ, cùm reliquarum facultatum Doctoribus, Dominis Patronis ſuis nullo honoris & obſequii genere ſatis commendandis.

Haſce ingenioli unicolas, Submiſſæ obſervantiæ, officioſiſſimi cultûs, perpetuæque gratitudinis arrham,
Dicat Dedicátque

ANDRÆAS FRIDERICUS FORNERETUS
Hel. Lauſannenſis S.S. Theologiæ ſtudioſus.

Reverendo in Christo Patri & Domino Domino
PETRO, BATHONENSI & WELLENSI
Episcopo, almæ Oxoniensis Academiæ Vice-
Cancellario illustrissimo, Ecclesiæ-
lutis Audiosissimo.

Nec non

Claritate, sapientia, prudentia & virtute conspi-
cuis viris, in eodem Athenæo tum S. Sacræ
Theologiæ, cum reliquarum facul-
tatum Doctoribus, Dominis
Patronis suis nullo bo-
neris & obsequii ge-
nere satis comme-
dandis.

Hasce ingenioli unicolas, Submissæ
observantiæ, officiosissimi cultus,
perpetuæque gratitudinis arrham,
Fiat Dedicatque

ANDREAS FRIDERICUS FOLNERETUS
Hel. Lausannensis S. S. Theologiæ Studiosus.

DISSERTATIO THEOLOGICA.

De persona & Officio Christi Mediatorio.

1. *Cor.* 2. 2. Οὐ γὰρ ἔκρινά τι εἰδέναι τι ἐν ὑμῖν, εἰ μὴ Ἰησοῦν Χριστὸν καὶ τοῦτον ἐσταυρωμένον.

I.

VErè & ex sapientiæ penetrali Plato in Euthidemo: Οὐ μόνον ἄρα εὐτυχίαν ἀλλὰ καὶ ὠφελίαν οὐκ ἔοικεν ἐπιστήμη παρέχειν τοῖς ἀνθρώποις ἐν πάσῃ κτήσει καὶ πράξει. *Non solùm ergò felicitatem ut par, sed & successum hominibus scientia exhibet in omni possessione & actione.* מחלא אמר ריש קנית מאי חזרת ריעה חזרת מה קניית proverbium dicit; *scientiam si possideas quâ re eges, scientiâ si cares quid possides?* dicunt enim Hebræorum magistri, אין עני אלא כריעת *non est pauper nisi in scientia*: Tanta nempè ejus est præstantia & utilitas, ut vel Alexander Magnus optimarum rerum scientiâ quàm potentiâ præcellere maluerit, nec non ipse Socrates, unus ex Græciæ sapientibus, eandem unicum vocitare bonum non dubitaverit; Et aptè quidem id esse dictum non ibo inficias, si sermo sit de scientia quæ Deo nos commendat, conscientiam tranquillat, in vita ac morte perstat, æternamque confert salutem: vel ut Apostoli utar verbis, *de cognitione Christi crucifixi* adeoque salvificâ: putà, si quis vel ad tàm eximium scientiæ gradum perveniret, ut vel gentilium sapientissimos quosque multis parasangis in scientiæ ipsorum ἀκμῇ anteiret; si tamen cognitione hujus arboris vitæ non sit imbutus, nec vivificos solis justitiæ radios pectus salutariter feriëntes senserit, non obstante toto reliquæ cognitionis lumine, lumine gloriæ privetur necessum est; sicut enim Urim & Thummim fuerunt medium divinitùs ordinatum per quod Deus legitimo modo consultus responsa dabat & oracula fundebat; per Urim quidem tanquam signum intelligentiæ sive cognitionis veri; per Thummim verò integritatis & actionis boni: ita utrumque in hac cognitio-

reperitur ſalvificâ, tùm intellectum tùm voluntatem perficiente; atque hic fundatur perfectio Chriſtianiſmi, quippe quæ incipit à cognitione quam notat אורים, in qua voce א eſt prima litera eademque prima Alphabeti & deſinit in actione quam notat תמים in qua ת eſt prima litera & *ultima Alphabeti.* In hac ſalutis ſuæ cardinem olim poſuere patres V. fœderis, hæc etiamnum omnium temporum, locorum, ordinum Electos beare jure dicitur; *hæc etenim eſt vita æterna ut te agnoſcant eſſe illum ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*; ita quidem teſtatur ipſa veritas *Joh.* 17. 3. Atque ex hujus intuitu eſt quòd Apoſtolus, quanquam plurima priuſquàm ad Chriſtum converteretur noverit, illa tamen omnia ad Chriſti cognitionem collata, ſe damna reputaſſe imò pro ſtercoribus habuiſſe *Phil.* 3. 8. aſſerat; quibus fere parallela ſunt textus allegati verba.

II.

Ubi hæc duo ſpecialiùs veniunt conſiderenda I. hunc Jeſum quem prædicabat Apoſtolus eſſe Chriſtum. 2. Eſſe crucifixum; Apoſtoli aliquandiu credebant quidem hunc Jeſum eſſe Chriſtum filium Dei. *Mat.* 16. 16. miſterium tamen crucis ignorabant. Et judæi; ad Chriſtum dicebant *Joh.* 12. 34. *Nos audimus ex lege quòd Chriſtus manet in æternum*, & hinc colligebant Chriſto non competere quæ de morte ſua ibi dicebat, nimirum ignorantes miſterium crucis prout etiam hodieque faciunt; quippe nec agnoſcentes mundi ſervatorem quoad ipſius perſonam quòd nempe idem ſimul etiam Immanuel noſter ideſt Deus & homo futurus eſſet neque quoad ipſius officium quòd nimirum eadem perſona ſacerdos eſſe & ſacrificium adeòque in cruce pro nobis ſatisfacere deberet; quod tamen utrumque impræſentiarum contra ipſos aliquantò proliziùs ſolidiſque argumentis dabimus demonſtratum.

III.

Et quidem quoad ipſius perſonam conſideranda ſunt tùm nomen ipſius, tùm perſona ipſa; Nomen eſt duplex: debuit enim eadem perſona eſſe & ſervator, quod deſignatur per vocem *Jeſu*, & Meſſias ſive unctus, quod per nomen *Chriſti*: Conſtabit hoc clariùs ex Etymologia utriuſque vocis; deſcendit enim *Jeſus* ab Heb. ישוע vel יהושע quod primitùs apud Hebræos erat in uſu, ùt generatim in libris Moſis, Joſuæ, Judicum, Samuelis, Regum, imo in Haggeo & Zachariâ videre eſt; deinde autem contractum in ישע *in* 1. *Chron.* 24. 11. *&* 2. *Chron.* 31. 15. & conſtanter in Ezra & Nehemia occurrit; Exinde ulteriùs factum ut ultima litera ע leviter tantùm pronunciata fuerit ùt appare ex tranſlatione græca 1. *Chron.* 7. 27. ubi יהושע redditur in Romano & Alexandrino exemplari Ιησου; in Aldi verò Complutenſi editione Ιωσυε, & apud Euſebium, qui melius id quàm ullum horum exemplarium exprimit Ιωσυι.

Tandem

Tandem verò litera י planè tùm in pronunciatione, tùm in ſcriptura omiſſa eſt & totum nomen יְהוֹשׁוּעַ contractum fuit in יֵשׁוּ *Num.* 13. 16. 1. *Chron.* 27. 20. 2. *Reg.* 17. 1. *Hos.* 1. 1. ſicut autem in nominis ad aliam linguam tranſitione gutturalis ultima abiicitur, ita ejus loco in græcis nominibus ſubſtituitur S quod idem etiam in voce מָשִׁיחַ græcè Μεσσίας cernitur, ut ſic græci pro יֵשׁוּ Ἰησοῦς dixerint. Rationem quidem nominis habemus prolatam ab Angelo *Mat.* 1: 21. *ſalvabit enim enim populum ſuum à peccatis ſuis*: non quidem anum vel paucos aliquos, ſed populum integrum ſuum & à malis graviſſimis, peccatis ſcilicet *Eſa.* 25. 6. 7. 8. 9. *faciet autem Jehova exercituum omnibus populis in monte hoc convivium & abſorbebit ipſam mortem in victoriam & abſterget Dominus Jehovi lachrimas ab omnibus facièbus & aut dicat tempore illo Ecce Deus noſter hic eſt, expectamus eum, exultabimus & lætabimur de ſalute ejus* בִּישׁוּעָתוֹ Tria hîc 1. Deus *ſervator* 11. *omnibus populis* 111. *à morte* Quem de temporibus Meſſiæ locum exponunt Rabbini. Quare nihil mirum quòd Meſſias vocetur יֵשׁוּעַ Salvator *Eza.* 49. 26. *ut agnoſcant me Jehovam eſſe ſervatorem tuum*; patriarcha Jacob. *Gen.* 49. 18. *Expecto redemptionem tuam* לִישׁוּעָתְךָ Quod egregiè ita παραφράζει Targum Jeroſolymitanum: אֲמַר אַבוּן יַעֲקֹב *dixit pater noſter Jacob*; *non expectet anima mea redemptionem Gideonis filii Joaſch quæ temporaria neque redemptionem Simſonis ſed redemptionem de quâ dixiſti in verbo* מֵימְרָךְ *tuo quæ futura eſt populo tuo, filiis Iſraelis, illam redemptionem non expectat anima mea*: quandoquidem ergò redemptio פּוּרְקָנָא & ישׁוּעָה ſalvatio cum Meſſia expectanda fuit, hinc eum & יֵשׁוּ Jeſum nominare oportuit.

IV.

Non eſt is quidem planè Judæis ignotus, fatentur extitiſſe, neque totum commentum eſſe quod de eo credimus; etiam interemptum à ſuis & veſpera Paſchatis crucifixum; ſed ùt ex præcipuo ipſo illorum teſtimonio *Babil. ſanh.* f. 107. 2 (ex quo hanc opinionem de Meſſiâ noſtro fabricarunt) ſi ad exactioris chronologiæ exigatur amuſſim apparet, variis parachroniſmis, ne veritatem agnoſcere cogantur, infandis mendaciis, nugis & blaſphemiis hiſtoriam pervertunt; vide ſis authorem *Zemach & Juchaſin* p. 17. 1. ubi obiter notandum, non quæri hic, An quæ ibi reſeruntur Jeſu noſtro conveniant, quod nemo Chriſtianorum vel cogitabit unquàm; ſed An non veris falſa miſcentes proùt ſolent Judæi, & inſuper habitâ veritate omni Theologica, maximè verò Chronologicâ, contra quam ſæpe numerò arietant, per Jeſum illum Staddæ & Panditræ filium, diſcipulum Jomæ qui fuit perachiæ filius, magum, à ſuis veſpera paſchatis occiſum, notare voluerint noſtrum Jeſum. & An non hoc quod negant aliquandò, ſolo Chriſtianorum metu, quorum offenſam verentur & punitionem, facere videantur? Nam illorum mendacia hâc in re contradictiones & blaſphemias notauit quoque Voſſius in notis

Chronologicis ad Zechar. pag. 264. & quòd autem in Talmude sub Jesù illo stadæ & pandiræ filio noster Jesus designetur, contra Galatinum contendit Raynoldus prælect. 153. de libris apocryphis, adducto in eandem sententiam Abrahamo Levitâ in suâ Kabala historica. Aliàs nec Gentilibus hoc nomen ignotum, intactumque scriptoribus, interque illos famosissimo Cornelio Tacito, Annal. lib. 15. *Autor nominis ejus Christus, qui Tiberio imperante per procuratorem Pontium Pil. supplicio affectus erat*; Quare constat, etiam testimonio maximorum nostrorum inimicorum Judæorum & Gentilium, Jesum Christum extitisse, neque esse eum merum commentum nostrum. Cæterùm Legimus quidem in sacra pagina de compluribus quoque aliis hoc nomine insignitis, sic in libris Mosis Auses Nave filius Num. 13. cum electus dux esset populi commutato nomine Ause Jesus cognominatus fuit: Quo scilicet ostenderetur, hoc esse nomen quod principibus & ducibus conveniret, iis duntaxat qui salutem populis se sequentibus darent. Itaque & ille Jesus appellatus est, qui eductum de terra Aegypti populum & de erroribus Eremi liberatum in terram repromissionis induxit. Typus nostri Jesûs qui populum de ignorantia eductum & de mundi erroribus evocatum introduxit in regnum cœlorum, Tertull. adv prax. sic etiam vocatur Jesus Bethsemita ille 1. *Sam.* 6. 14. sic etiam princeps Civitatis Hierosol. 2. *Reg.* 3. 8. Ita denique summus sacerdos *Zach.* 3. 1. Verùm ex Tertull. notandum illos typicè tantùm ita potuisse appellari, quatenus temporali salvatione æternam & spiritualem salvationem præfigurabant: Noster autem Jesus ita dicitur proprie & quoad salutem illam æternam cùm talis sit non instrumentaliter tantùm, ùt volunt sociniani, sed principaliter & primariò, idque respectu utriusque termini à quo & ad quem, tùm merito, tùm efficacia, ut proindè meritò *& salus & salutis fons dicatur Gen.* 49. 18. *Esa* 12 3. *Luc.* 2. 30 hocque respectu Bernhardus ait, *habuisse Judæam quosdam Jesus, sed quorum vacuis glorietur nominibus, cùm illâ ne luceant, nec pascant, nec medeantur, in Cant. Serm.* 15. ùt autem nomen *Jesus*, quod ab Angelo impositum nostro servatori est proprium; Ita alterum *Christus* est accidens, quod ei ab unctione convenit, sic Tertull adverſ. prax. cap. 28. *Christus commune dignitatis est nomen, Jesus proprium vocabulum salvatoris. Hieron. in Mat.* 16. 20 *Isidor. Orig. lib.* 7. *c.* 2. *Cyprian. Catech.* 10. ut proinde à Christo Christiani quidem at non à Jesu Jesuani sive Jesuîtæ dici possimus.

V.

Sonat itaque vocabulum Christus unctum à χρίω ungo, ut sic Hebræorum משיח sive Messias exprimatur; Ejus autem unctio non externa fuit & sensibilis, ùt quorundam in Israel fuit; tùm sacerdotum *Exod.* 30. 30. tùm Regum 1. *Sam.* 10. 1. & quandoque prophetarum 1. *Reg.* 19. 16. sed plane spiritualis & mystica, quæ complectitur & personæ ipsius ordinationem ad redemptionis

nostræ

opus Mediatorisque munus, ùt & Spiritus S. Charismatum necessariorum effusionem in ipsum plenissimam *Joh.* 3. 34. *Esa.* 61. 1. & *Ps.* 45. 8. Unde dicitur *unctus oleo gaudii præ Consortibus suis.* unguentum unctionis in V. T. non tantùm præfigurabat oleum gaudii h. e. spiritum S. quò Christus verus Aaron in sacerdotem nostrum unctus est *Ps.* 45. 8. sed etiam Christum ipsum qui nos ungit, unde Ecclesia de eo *Cantic.* 1. 3. *Ad odoratum inquit, unguentorum tuorum optimorum velut unguentum diffunditur nomen tuum; Idcirco puellæ diligunt te*, q. d. odoratissimus es & odoratissima omnibus tui recordatio; ùt enim oleum supernatat omnibus liquoribus, ità Christus omnibus rebus imperat atque dominatur, *Dominatur Christus in Medio inimicorum suorum Ps.* 110. 2. *mundum vicit Joh.* 16. 33. 2ò oleum vim habet penetrantem, Christus non tantùm externè, doctrinâ, institutione & consolatione fores pulsat, sed *aures* etiam *nobis perfodit Ps.* 40. 7. *Cor adaperit Act.* 16. 14. 3ò Oleum agilitatem & robur membrorum auget. Ideò palæstritæ in campum prodituri eò se inungebant; & de Christo propheta ait, *Dat defesso virtutem & defecto viribus robur copiosè suppeditat Esa.* 40. 29. Sanctum erat oleum hoc unguenti, & tentorium omniaque ejus vasa ac sacerdotes qui eo ungebantur sanctificabat, *Exod.* 30 30. Christus est *sanctus sanctorum Dan.* 9. 24. sanctificatus à Deo qui nos sanctificat, horum, inquit, *causâ ego sanctifico me ipsum ut sint & ipsi sanctificati in veritate. Joh.* 17. 19. Gratum unguentum unctionis spirabat odorem, *Christus dilexit nos & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & victimam Deo in odorem bonæ fragantiæ Eph.* 5. 2. Ipse tetrum peccatorum nostrorum fœtorem meritò suò pellit, ac graveolentiam corruptæ nostræ naturæ indies magis magisque spiritu suo minuit & tollit.

VI.

Hæc quidem possent sufficere Christianis doctrinæ Hujus demonstrandæ ergò nimirùm Jesum Christum esse verum illum Messiam; At quia etiam contra infideles veritas in arce ponenda, sic controversiæ statum ponemus. *An Christus sit verus ille Messias, ideſt, An fuerit is quem Deus toties tamque augustè promisit & præsignificavit? An ille de cujus adventu tam anxiè inter nos & Judæos disputatur?* Ad astruendam itaque affirmativam pro Jesu nostro Messiâ, argumentò hoc utimur generali: Cui competunt & in quo adimpleta omnia quæ de Messia olim prædicta & prænotata, is est verus Messias: sed in Jesu Messia omnia illa adimpleta eique competunt: Ergo est verus Messias. pro hoc argumento confirmando est, quod in N. T. sive à Christo sive Apostolis V. Testamentum ejusque loca passim afferuntur ad probationem eorum, quæ in N. T. exponuntur & aguntur; hinc Christus ad Scripturas provocavit continuò neq; aliam formula illam causam habet, *factum hoc ut impleretur.* Quæ tàm frequenter per N. T. occurrit, ut losa singula annotare nulli non obvia, haud sit necesse. Eaque omnia confirmavit Christus in cruce, sub mortem dicens:

Conſummatum eſt *Joh.* 19. 30. ſpeciatim ex inductione ſingulorum demonſtrandum, Jeſum Meſſiam eſſe.

VII.

Et quidem quoad ipſam perſonam Chriſti notandus eſt 1° *Ejus Ortus*, 2ò Ejus vita.

In ortu 1ò *præcurſor*, qui ante Meſſiam ire, ejus viam parare juxta vaticinium, *Mal.* 3. debuit 2ò videndum *quando natus eſt Meſſias quoque tempore.* 3ò quâ proſapiâ *& ſtirpe, & quali perſonâ.* 4ò *Locus* 5ò *Modus Nativitatis.*

Præcurrere aliquis Meſſiam in ſpiritu & veritate Eliæ, debuit, juxta *Malach.* 3. 1. *&* 4. 5. 6. *Eſa.* 40. 3. *Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus.* Totam autem hanc pericopen quæ incipit, *Conſolamini Conſolamini*, de diebus Meſſiæ Judæi exponunt. Kimhi כל אלה הנחומות עתידות לימות המשיח *omnes illæ conſolationes futuræ diebus Meſſiæ.* Atqui vox illa clamantis in deſerto atque præcurſor Chriſti *γ* eſt Joh. Baptiſta; quod notandum contra judæos qui illum quidem expectant ùt Meſſiæ præcurſorem & comitem, ſed idcircò nondùm veniſſe concludunt, quia Elias nondùm apparuerit; nam quod dicunt, abſurdam & duram eſſe iſtam expoſitionem, veniet Elias ideſt, veniet aliquis qui non eſt Elias, ſed vocatur Johannes, nullius eſt ponderis. At verò quomodò Johannes ſit Elias, Angelus Dei exponit *Luc.* 1. 17. *præcedet in conſpectu Domini cum ſpiritu & virtute Eliæ, ut convertat corda patrum ad filios*; hoc Chriſtiano homini ſufficit. Judæus præterea ſcit in propheticis locutionibus antitypum geſtare nomen typi, ſic Meſſias dicitur David *Hoſ.* 3. 5. quia David erat typus Meſſiæ. Dignitatis nimirùm regiæ reſpectu, quâ David Meſſiam referebat. Eodem modò Johannes dicitur Elias reſpectu ſpiritus & virtutis quâ Johannes Eliæ ſimilis erat futurus 2ò obiiciunt Judæi, Eliam dici ad futurum ante diem terribilem Domini, qui potiùs eſt dies ultimi judicii quàm primi adventûs Chriſti, qui non terribilis ſed ſalutaris dicitur. Reſp. etiam dies primi adventus Chriſti terribilis dici poteſt omnibus impiis, & terribilis iſtius diei nuncius fuit Joh. Baptiſta, ùt patet ex *Mat.* 3. 10. 12. *& Joh.* 9 39 Ipſis imprimis Judæis terribilis fuit dies iſtius adventus Chriſti, qui ipſis Hieroſolymorum excidium non ſemel prædixit, cujus vaticinii veritatem poſtea experti ſunt. Non minùs itaque terribilis dicendus iſte dies quo Chriſtus primò venit ad particulare illud Judicium in impios, quàm ille quo ſecundò ad univerſale Judicium in vivos & mortuos exercendum apparebit. 3o putant Judæi Eliæ debuiſſe eſſe magnam authoritatem quam Joh. Baptiſta non habuit. Imò ſi fides Joſepho habenda maxima fuit Johannis authoritas quippe cujus & præclaram ipſe mentionem facit & mortis ipſius cauſas quoque recitat, ut adeo verum ſit quod N. T. teſtatur de Johanne ipſum pro eximio propheta fuiſſe habitum, quem proindè & Herodes licèt impius magni fecit.

Cæterùm

VIII.

Cæterùm quod ad tempus nati Meſſiæ, tùm venit, quando 1ò omnia veterum vaticinia finem ſortiebantur, tunc enim impletum id quod habetur *Gen.*49. 10. de *Schilo* ubi notandum 1. vtùt Judæi & Chriſtiani in illius ſignificatione non uſque quàque concordent, ſufficere tamen quòd præter præcipuos Rabbinos omnes paraphraſes trium Targumim hunc locum de Meſſia intelligant. 2. Chriſtum noſtrum revera veniſſe illo puncto & tempore prædicto adventûs ipſius Schilo. quia nempe venit ſub regno Herodis, quo tempore ſceptrum à Juda & omnis legiſlator ex eadem tribu erat ablatus. ſiquidem Herodes ab Idumæis & Eſavo fuerit oriundus, ùti inter alios accuratè obſervârunt & aſſerverunt Scaliger & Caſaubonus; Ille in animadverſionibus ad Euſebium *Num.* 19.83. Iſte verò exercitatione primâ ad apparatum Annalium: ubi licèt doctiſſimi viri probent eum non fuiſſe prorſus aliegenam, oſtendunt tamen proſelytam tantùm fuiſſe Et quamvis Herodis tempore magnum ad hue ſanhedrim dicas ſubſtitiſſe, notandum tamen id nihil ad rem facere, tùm quia poſt confuſionem tribuum à captivitate Babylonica nec é meris Judæ poſteris conflatum fuit nec membrorum illius amplius authoritas erat qualis erat aliorum antehac; ſiquidem ex una parte Herodes tyrannus omnes leges divinas & humanas proculcaverat; & latentibus Thalmudiſtis, aſſeſſores illius ſanhedrim ſeu ſynedrii omnes amoverat Imo ipſe philo Judæus lib. de temporibus memorat totum Sanhedrim ab Herode fuiſſe trucidatum, & ejus loco 72. ſenatores extraneos fuiſſe ſubrogatos. Et licèt in eodem collegio ſceptrum adhuc penderet inane, priſtinæ tantùm præteritæ dignitatis ſine ullâ præſenti poteſtate ſymbolum erat, ſi quidem ſub Romanis eoùſque decurtata erat ipſorum poteſtas, uti in Criminalibus cauſis jus nullum haberent ſanguinis, ùt vel hoc patet ex ipſorummet confeſſione *Joh.* 18. 31. *Nobis non licet occidere quenquam* Vel morti adiudicare.

Impletum etiam vaticinium *Haggæi cap.* 2. Ubi iterùm notandum 1. Chriſtum exactè veniſſe, ſtante adhuc ſecundâ domo & ſecundò templo Judæorum, quod poſtea interiit & exciſum fuit a Romanis 2. hoc vaticinium tempus venturi Meſſiæ revera indicare, patet vel ex eo, quòd illa gloria quæ ſecundæ Domui attribuebatur, non niſi ex præſentiâ Meſſiæ arceſſi & intelligi poſſit.

Nam aliàs quoad externam gloriam, tantum abeſt ut major fuerit gloria ſecundæ iſtius domûs præ prima, ut é contrario, qui priorem domum viderant, calidis lachrymis & ejulatibus gloriam prioris domûs deſideraverint. Imò ipſimet Judæi res quinque valdè eximias in templo ſecundo agnoſcerant; ut videre eſt in lib Joma cap. 1. ubi ad vocem אאכבר *ex Hag.* 1. 8 quæ ita punctata eſt, ut *He* paragogicum in fine deficere videatur; quærunt quid notet *He* deficiens, ac reſpondent illud quinque res in templo ſecundò defeciſſe (*He* enim numerum quinarii apud Hebræos nota eſt) ſed peradventum Meſſiæ reſtituendas ſignificare; ùt ſunt 1ò ignis cœleſtis holocausta abſumens 2ò Gloria Dei ſ. præſentia Numinis inter Cherubinos 3ò ſpiritus prophetiæ. 4ò Arca fœderis, 5ò Urim

& Thummim; quin & alia desiderabantur ex confessione Rabbinorum; ita ut ergò concludendum relinquatur, gloriam illam non posse arcessi nisi à præsentiâ Messiæ; Denique iste promissus Messias manifestè satis ab eodem propheta indicatur *v.* 8 juncto cum *v* 7 ubi prædicit *omnes Gentes venturas & desiderium omnium Gentium venturum:* jam vero istud desiderium omnium Gentium est ipse Messias, qui dicitur *expectatio totius mundi* apud *Es. & Gen.* 49. Schilo, qui etiam Messias dicitur Expectatio Gentium; quin sub Messia omnes gentes *ad Deum Abrahami, Isaaci & Jacobi venturas*, non diffiteantur ipsi Judæi & disertum est in hanc rem vaticinium *Malach* 1. 2. Impletum etiam vaticinium *Dan* 9 24. ubi notandum iterum 1ò hoc illustre vaticinium veri Messiæ legitimo tempore adventum denotare, ut patet ex textûs circumstantiis & ex confessione ipsorum Judæorum. Quoad circumstantias videatur *v.* 24. ubi 70. illæ hebdomades dicuntur terminandæ ad obsignanda peccata & ad adducendam justitiam *æternam & v.* 15. *Eædem septimanæ terminum suum habituræ sunt, usque ad Christum ducem* Et *v.* 26 post easdem septimanas *Excisum iri Christum.* 2ò Notandum per illas septimanas intelligi non septimanas dierum, sed septimanas annorum, ita ut incipiendo numerare illas septimanas, vel à primo Cyri regno vel à secundó Artaxerxis, vel etiam ab edicto à Nehemiâ impetrato, finis illarum septimanarnm cadat certo in tempora vel Herodis vel Tyberii, id est ad tempora ipsius Christi: Nec enim requirebatur præcisè ad illius vaticinii executionem ut illarum septimanarum Finis præcisè in ipsam nativitatem Christi incideret. denique licet omnes non concordent in figendo septimanarum illarum initio, recordandum est ipsius regulæ in vaticiniorum explicatione adhibendæ, vaticiniorum & prophetiarum momenta suam sæpe latitudinem habere, nec in certo ac individuo temporis momento consistere: sufficit etiam adversus Judæos propria Rabbinorum confessio, istud nempe septimanarum tempus est jam effluxisse.

2o Messias tùm venit, qnando vulgò Judæorum natio Messiam venturum expectabat: Unde in Evangelio hinc describuntur homines qui Messiam præstolabantur. Simeon *expectans consolationem Israelis Luc.* 2. 25. 26 eodem cap. quo historia panditur nativitatis Messiæ *v.* 38.. de prophetissa Anna filia phanaelis ex tribu Aser; prophetasse dicitur omnibus expectantibus redemptionem Jerusalemi. Mulier samaritana, *scio quod Messias venit, ille quum venerit annunciabit nobis omnia Joh.* 4. 25. *& v. iterum* 29. *venite, videte hominem qui mihi omnia quæ feci naravit; nunquid hic est ille Messias?* & hinc fama ad Gentiles percrebuerat venturi eo tempore Messiæ Regis apud Judæos Quæ temerè Judæi Vespasiano adaptârunt, quùm Messiam verum repudiâssent & Imperatoris Romani gratia ipsis omnimodè aucupanda videretur, Nec nova illa ac recens sed *Vetus*, non levis sed *constans* fama erat Suetonio de Rege & imperio Judæâ oriundo, & *nasci invictum imperatorem*, uti habet servius. Quæ aliundè quàm ex Judæis & eorum computationibus in hoc tempus adventùs Messiæ finientibus originem habere nequiverunt; *ex antiquis sacerdotum literis*,

inquit

inquit Tacitus; Atque ex *Divino aliquo decreto* constantem illam opinionem arces sit Suetonius: Illud enim fatum appellabant: *percrebuerat oriente toto vetus & constans opinio, esse in fatis:* adeò fata & vetus constansque opinio ex sacerdotum literis emanans, tùm temporis Regem istum oriturum Judæis, etiam gentilibus dictabat; quæ alteri quàm Messiæ applicari non posse & indè orta ne mo non videt. Certe Gentiles aliquid hic obsérvârunt sibi eveniſſe, quod cu m tempore admirati, unde accideret, ignorabant; Conscripserunt tamen & literis mandârunt quodcunque hoc erat quod eo tempore quò Messias venit & innotescere coep.t doctrina ejus, passim oracula conticescerent.

Nec responsa dabat Lybycis in Syrtibus Ammon.

Extat egregius Plutarchi libellus περὶ τῶν ἐκλελοιπότων χρηστηρίων, *de defectu oraculorum*; ubi non modo annotat hoc eveniſſe & valde mirum ipsis visum, sed in causas solicitè inquirit, quo etiam Iuvenal. saty.r. 6.

Quoniam Delphis oracula ceſſant.

Strabo lib. 11. Geograph διόπερ καὶ τὸ ἐν Ἄμμωνι χιδὸν τι ἐκλέλειπται χρηστήριον, πρότερον δὲ ἐτετίμητο, *Ideoque & oraculum Ammonis penè desertum est, quod antea honorabatur:* sed quam veram causam deficientium oraculorum gentiles ignorârant Judæi certè ignorare non possunt ex vaticiniis prophetarum exercè dicentium, cum Messia Idola exscindenda *Esa.* 2 18. 20. *Zach.* 13. 2. 3. 4 5 et quum Messias noster suâ vi, doctrinâ & spiritu admirandum istud opus peregerit Evangeliô ubique Dæmones locis suis extrudente & homines à terroribus spectrisque liberante sequitur, irrefragabiliter & doctrinam ejus Divinam, & se illum esse, cui exactio Dæmonum à prophetis attributa fuit, ideſt Messiam veriſſimum.

IX.

Ex ea prosapia natus est Messias noster quâ eum nasci decuit, id est stirpe Davidis & Judæ; vnde in frontispicio Evangelii scriptum est Βίβλος γενέσεως Ἰησοῦ χριστοῦ υἱοῦ Δαυὶδ, υἱοῦ Ἀβραάμ *Mat.* 1. 1. nempe hîc liber est quoque ἐκ τῶν Βιβλίων, imo principaliter quidem Βίβλος: Atque uti primus liber veteris Codicis est γενέσεως liber בראשית Ita & hîc, sed γενέσεως Christi, non mundi, non naturæ. Christum ex Juda originem suam trahere, ita Clarum certumque, ut Apostolus *Heb.* 7. 14. dicat πρόδηλον hoc esse id est *palàm manifestum*, non simpliciter δῆλον ὅτι ἐξ Ἰούδα ἀνατέταλκεν ὁ Κύριος ἡμῶν: Quod nisi certum indubitatumque esset non tàm fidenter Apostolus apud Heb. dixisset.

Obiiciunt Judæi: ne quidem in Evangelio ostendi Christum é Davide prognatum, tantùm hoc de Josepho probari, cujus tamen verus atque ab eo genitus filius Christus non sit. Ita enim apud Munsterum in Evangelium Mat: argumentantur, statim in initio. Ad quæ respondemus 1. Datô Evangelistas, Matthæum & Lucam Christi genealogiam deducere ad Josephum, non sequitur inde, Christum non esse de domo David: 11. Imò hinc contrarium constat, 1° quia hoc adeó certum habebatur, Mariam cum Josepho ejus.em stir-

pis esse, ut ad ejus explicationem sufficere videretur, istius pandere genealogiam, quâ expositâ, pro certo probatum erat; Christum esse filium Davidis atque Abrahami 2o Ideoque illud πρόδηλον dicit esse Hebræis Apost. *Heb.* 7. 14. 3o Nisique certum fuisset, Judæi Christi adversarii, quando toties, tum ipse, tùm Apostoli eùm dixerunt Davidis filium, obstrepuissent quidem, & vel in judicio, vel extra hoc attulissent, ex quo solo falsi convictus certissimè fuisset. 4o uti uxor vel sponsa qualis erat Maria μεμνηστευμένη ἀνδρὶ Ἰωσήφ, transit in familiam, & nomen mariti, ita & fructus ventris ejus, qui inde non illius jam habetur, sed hujus & ejusdem nominis familiæ ac tribus cum eo. Confer legem *Deut.* 25 6. 7., ubi filius à Leviro procreatus, quia mulier hactenus defuncti habebatur, in illius nomen transit, familiam ac bona, non autem censetur filius naturalis & viventis patris; partus sequitur ventrem, venter maritum hinc sensus verborum illorum potest esse *Luc.* 1, 27, ubi Angelus dicitur missus *ad virginem desponsatam viro cui nomen erat Joseph, ex familia Davidis, & nomen virginis, Maria:* nempe virgo desponsata Davidicæ stirpis viro, æstimatur quoque ejusdem. 5o fateor quidem haud prohibitum Judæis fuisse, cùm tribu aliâ conjugia miscere, quod contra errorem, à multis viris doctissimis bene observatum, *Corn. Bertramo lucubrat. frankental. cap. 6. feldeno lib. de successione Hebræorum cap.* 18. *& Gomaro de Genealogia Christi cap.* 5. Verùm si Maria ἐπίκληρος fuerit, fratre carens, tùm agnato & tribuli suo nubere eam opórtuit ex lege *Num.* 36. 6 Quæ sententia est Ger. Vossii dissert. de generatione Christi. Verùm nos III. dicimus Lucam Evangelistam genealogiam Mariæ descripsisse, Matthæum Josephi. Et sic non uterque Evangelista genealogiam Christi ad Josephum deducit; neque nescitur genealogia Mariæ. sic ait Lucas c. 2. 23. *& erat Jesus quasi annorum* 30 *incipiens ὢν υἱὸς ἐνομίζετο τοῦ Ἰωσὴφ τοῦ Ἡλὶ τοῦ Ματθὰτ* ideſt *filius (uti putabatur) Josephi*, revera, (aut) sed *Eli* & hic *Matthat* filius: Eli parens Mariæ fuit, jam antè notum, in genealogiis non matres sed viros recenseri; quare ubi dictum esset, Josephum non esse verum Christi patrem, solummodò putatitium, proximè ponendus erat Mariæ parens & avus Christi maternus, Eli. Aut si velis illud τοῦ Ἡλὶ non Christo sed Josepho attribuere, in promptu est responsio, quòd nempe filius Eli Josephus dicendus non naturalis, sed legalis, jure conjugii, quia nimirum ejus gener erat. Quemadmodum *Ruth.* 1. 8. Nahomi nurus dicuntur ejus filiæ, Atque hoc vulgatum, ut, quomodocunque illa sumas quæ de Christi genealogiâ apud Matt. & Luc non aliter quàm ad scopum hunc referenda sint; Christum omni modo demonstrari esse Davidis filium & verum Messiam.

Et prout verus Messias ex virgine nasci debuit ita etiam hoc in Messia nostro impletum est, *Mat.* 1. 22. 23. *Hoc autem omne factum, ut impleretur dictum à Domino per prophetam dicentem: Ecce virgo concipiet & pariet filium & vocabunt nomen ejus Immanuel: quod est Si interpreteris. Deus nobiscum Esa.* 7. 14. *Ideo dabit Dominus ipse signum vobis; Ecce virgo concipiet & pariet & filium & vocabit ipsa nomen ejus Immanuel.* Ubi hæc observanda 1. prædici promittique

rem

rem ſingularem aliquam & miraculoſam אות ſignum 2. Non uni alicui, non Achazo Regi qui oblatam ſigni optionem indignè contemſerat, ſed omni populo, domui Davidis. Argumento rem prædici, cujus intererat omnium 3. ſignum omninò Divinum à ſolo Deo exhibendum, quod proinde dicitur daturus Dominus ipſe 4. ſignum admirandum Ecce. 5. In eo ſitum quòd virgo paritura eſſet 6. paritura filium Immanuelem. Quæ omnia nulli aptari poſſunt quàm Meſſiæ noſtro. Nam de quocunque aliò interpreteris vim & plenitudinem prophetiæ nunquam exhauries. Hinc ad nativitatem Meſſiæ noſtri ex virgine hiſtoria bene annotat, *factum hoc ut impleretur dictum à Domino per prophetam, Ecce virgo concipiet.* Nullam autem cauſam Iudæi habent hoc negandi, quod Evangeliſta dicit, vel ejus in dubium trahendi veritatem neque enim impoſſibile *Deo*; quippe uti Angelus Mariæ hoc obiicienti reſpondit, ὅτι οὐκ ἀδυνατήσει παρὰ τοῦ θεοῦ πᾶν ῥῆμα; Neque incongruum Deo vel Meſſiæ eſt, ut in ejus gratiam; hoc miraculum inque ejus nativitate, de quo tàm prodigioſa multa paſſim dicta, edatur Quod ad Hæbraicam vocem עלמה virginem intactam per illam intelligi conſtat, tùm ex vocis uſu in ſacris, ſic enim ſepties occurrit, ter quidem cum ה demonſtrativo, ſemper autem virginem ſignificat; tùm ex Etymologiâ vociſque ſignificatione, dicitur enim à עלם latuit, abſcondit; quo denotatur ſtatus virginis abſconditus à conſpectu & commercio hominum ſaltem virorum; tùm denique ex ipſa vocis acceptione hoc loco neceſſaria ùt jam oſtenſum; hunc in modum etiam verterunt Græci ἡ νεᾶνις παρθένος, quemadm. etiam *Gen.* 24. 43. & eodem ſenſu Chaldæa paraphraſis habet הא עילמתא

X.

Quod ad locum naſcituri Meſſiæ, debuit is eſſe Bethlehem ibique Meſſias noſter natus juxta prophetam *Mich.* 5. 2. *Et tu Bethlehem Ephrata cui parùm ut ſis inter millia Iudæ, ex te prodibit mihi, quidominator erit in Iſraele, egreſſus cujus à principio a diebus ſæculi:* Quem de Meſſia locum exponunt *Chaldæus paraph. Solomo Iarchi & Kimhi* R. *Eliezer* cap. 3. unde convenienter in Evangelio legitur: *An non ſcriptura dicit, quòd ex ſemine Davidis & Bethlehemo, pago Davidis Meſſias veniat? Joh.* 7. 42. Ex Davidis genere ſimul & loco *Mat.* 2. 5. 6. Herodes convocatis omnibus ſacerdotibus & ſcribis populi, quærit ex iis ubi Meſſias naſceretur; Reſpondent in Bethlehem Iehuda: ſic enim ſcriptum per prophetam: *& tu Bethlehem.* in *Shebet Jehuda Gentii pag.* 251. interrogantibus Meſſiæ patriam reſpondetur, Bethlehemum Iudæ eſſe.

XI.

Denique quoad modum nativitatis, planè mirabilis ille fuit, ut berè hîc quadret illud *Quintiliani mirabila auferunt vocem*: mirabile autem citra dubi-

um est, considerare Deum ἐγγάστορ, sive quod coincidit, infinitum & immortalem Deum assumsisse finitam mortalemque carnem, assumpsisse naturam, non autem personam, naturamque assumptam non habere subsistentiam ex semetipsa, benè quidem assumentem nimirum Divinam: hæc justam hunc in modum exclamandi cum *Nazianzeno* causam suppetunt, ὦ τῆς καινῆς μίξεως τῆς παραδόξου κράσεως, Et cum *Cypriano*, *Miror quomodo Deo adhæserit Caro*: hoc humano quidem intellectui ἔργον ὄχι ἀπιστότατον, aut ut loquitur *Chrisostomus*, φρικωδέστατον καὶ ἐκπλήξεως γέμον; Ideoque hæreticis qui hæc credere nolunt, cum *Augustino* dicere possumus, *Disputatu & ego Credam*, & alibi, *dicat mihi Judæus incredulus, quomodo virga arida fronduit, floruit, & nuces protulit, & ego dicam illi, quomodo virgo concepit & peperit; sed profectò nec Judæus virga poterit explicare conceptum, nec ego virginis partum*: Interea verum est quod *Hilar. de Trin. lib.* 10. dicit, *Caro sit verbum hoc est homo Deus & qui homo est in cœlis est & qui Deus est de cœlis est ascendit descendens & descendit ascendens, est qui erat, & quod est non erat.*

Esa. 7. 11. edixit Deus Achazo ut peteret signum *vel ex rebus altissimis vel ex profundis*; vidimus nos signum nostri Immanuelis utrobique in altissimis quidem vidimus eum ut Deum, in profundis verò ut hominem; sed quod mirabilius est, in eo simul cœli & terræ conjugium Idem enim est יְהוָה *Justitia nostra Jer.* 23. 5 6 quod nomen cùm proprium sit soli Deo nec communicabile ulli Creaturæ, etiam fortissimum Divinitatis argumentum est, denotans quippe illum qui revera est, h. e. qui talem excellentiam habet, ut non modò sit Ens, sed etiam omnibus Entibus donet existentiam, unde *Apoc.* 1. 8. dicitur ille *qui est, qui erat & qui futurus est*; ut proinde hoc nomen ad significandam ejus æternitatem apprimè faciat; nec absimili quoque periphrasi Gentiles suo quoque Iovi eam adscripsere, Illi enim teste *Pausaniâ* hoc versu accinebant vates, Ζεὺς ἦν Ζεὺς ἐστὶ Ζεὺς ἔσσεται ὦ μεγάλε Ζεῦ Nec alio respectu Dominus vocat Christum *virum proximum suum Zach.* 13. 7. ideſt virum qui ipsi sit æqualis; vox enim Heb. גבר עמיתי significat contra positionem in æquali situ, dispositione, forma, magnitudine, lure, ut in cõjiciendis sortibus 1 *Chron.* 25. 8. hinc quando homini jungitur proximus ejus, notatur (ut imitemur) phrasim *Ps.* 55. 14.) vir ejusdem naturæ particeps; Ideò vox Heb. *pro proximo* non est significativa *amoris* aut *coniunctionis quoad locum*, sed *communionis naturæ* Idem ille vocatur אל גבור ideſt simul *Deus & vir fortis Esa* 9. 6. Itemque *Germen Davidis* ex ipsius stirpe nasciturum *Jerem.* 23. 5. 6. *Nam si morbos nostros ipse perferre & dolores nostros ipse baiulare debuit, si exactâ poenâ ipse affligendus, si à coarctatione & Iudicio tollendus & exscindendus é terra viuentium, si exponendum improbis sepulchrum ipsius Dominusque delectatus conterere ipsum, morbo ipsum affecerit*; atque ipse *se exp fuerit sacrificium pro reatu* ut hæc omnia luculentius in decantatissimo illo vaticinio *Esa.* 53. per totum caput de illo referuntur, haud dubiè homo fuerit oportet, Cum talia non nisi de homine propriè dici queant.

XII.

Homo itaque fuit, eandemque nobiscum naturam participavit, veram quidem, non apparentem tantùm, ut finxere Cerdoniani, Marcionitæ, Manichæi, pluresque hujus furfuris hæretici, qui Docetæ inde vocitati sunt, qui tùm ex historia Evangelica generatim, tùm maximè ex loco *Luc.* 24. 31. & *Heb.* 2. 14. nervosè satis refutantur. Aptè in hanc rem *Chrysostomus, Christus,* inquit, *non putativam neque apparentem tantùm carnem sed veram induit, & ea propter voluit per omnia nostra transire, & ex muliere nasci, & infans fieri & panniculis involvi & lacte pasci, aliaque omnia ferre, ut dispensationis veritas credibilior esset, propterea & dormit in navi & iter facit & fatigatur & omnia humana sustinet ignominiosissima ut sua incarnatio per omnia fiat manifesta:* Veritatem naturæ ipsius insuper confirmant partes 1° *essentiales*, anima & corpus, verâ enim animâ præditus est Christus, prout etiam moriens patri commendasse eam dicitur *Luc.* 23. 46. & vero corpore ut jam visum ex *Luc.* 24. 31. ubi corporis phantasmatici opinionem longissimè à se removit & *Mat.* 14. 26. 27. 2° partis utriusque proprietates, tum *Essentiales* tùm *naturales* quæ Christo tribuuntur: *Essentiales*, quia anima ipsius spiritualis est & immortalis *Luc.* 23. 46. Intelligendi cap. 2. 52. & volendi facultate *Mat.* 26. 39. pollens: Corpus quantum visibile, palpabile, partes extra partes constitutas habens *Luc.* 24. 39. *Joh.* 20. 27. *Naturales* à subjecto separabiles, nam qui nunc non proficit amplius sapientiâ profecit olim *Luc.* 2. 52. 3. Infirmitates & defectus non hujus vel illius individui ut lepra *Mat.* 8. 2. cæcitas *Joh.* 9. 7. sed totius naturæ, ex ejusdem per peccatum corruptione suscepti. Etenim in anima Christi fuit tristitia *Mat.* 26. 39. dolor *Joh.* 11. 33. timor *Marc.* 14. 33. In corpore lassitudo ex itinere *Joh.* 4. 6. sudor *Luc.* 22. 44. Lachrymæ *Joh.* 11. 35. Ex quibus omnibus conficitur, sicut Christus secundùm naturam Divinam ὁμοούσιος est patri, ita secundùm naturam humanam esse ὁμοούσιον nobis; factus est inquit Apost. *similis fratribus per omnia Heb.* 2. 17. tùm *substantiâ* ut qui particeps est carnis & sanguinis ipsorum *v.* 14. tùm *quantitate qualitate & actionibus*, quia *habitu ut homo est inventus phil.* 2. 8. Eòque *homo* 1 *Tim* 2. 5. *filius hominis Joh.* 3. 13. *filius Davidis Mat.* 22. 42. passim appellatur. Quæ verò in contrarium & erroris sui confirmationem loca proferunt veritatis adversarii nimis ineptè contorquent. *Marcion* phantasma pro corpore Christum induisse imaginatur quia dicatur alicubi in *similitudinem hominis factus est, & figurâ compertus ut homo*, sed ità minimè expendit quid illic agat Paulus, non enim quale corpus sibi sumpserit Christus, vult docere, sed quum jure Divinitatem suam exercere posset, nihil præ se tulisse nisi quod erat abjecti contemptiq; hominis, ideoque non docet quid fuerit Christus, sed qualiter se gesserit. *Manichæus* aereum fabricatur corpus, quia vocetur Christus, *secundus Adam de cœlo cœlestis*; At neque illic essentiam corporis celestem inducit Apostolus, sed vim spiritualem quæ à Christo diffusa nos vivificat. *Marcionitæ* sucandi

erroris sui causâ, nempe ut Christum de nihilo corpus sumpsisse evincant, mulieres contendunt esse ἀζωίους: & ita *objiciunt*, nempe Aaronem & Jojadah, duxisse uxores ex tribu Jehudah, atque ità tunc confusam fuisse tribuum discretionem sin inesset mulieri generatiuum semen: sed notum est censeri progeniem ex virili semine, neque tamen præstantiam sexûs obstare, quo minùs in generando coeat semen mulieris. *Apollinaris* etiam falsò supponit animam Christi non fuisse creaturam, sed Divinitatem loco animæ corpus ipsius occupâsse, nam hoc commentum iterum refutatur ex historiâ Evangelica, quæ animæ Christi veræ & propriè dictæ, meminit, vide *Mat.* 26. 39. *Marc.* 14. 24. Nec favet illi locus Pauli *Col.* 2 9 ubi dicitur, *in Christo habitâsse omnis plenitudo Deitatis córporaliter*: non quòd in corpore Christi instar animæ informantis habitârit Divinitas, sed quòd per unionem hypostaticam Christus fuerit ille in quo non amplius umbraticè & typicò, sed verè habitaverit Divinitas scil. oppositè ad habitationem illam Dei in tabernaculo, ad quam etiam alludere videtur Joh. Baptista quando *Joh.* 1. 14. hâc phrasi utitur, ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν.

Quoad *Anabaptistas*, illi oppugnant etiam veritatem naturæ humanæ, *Menno* docet corpus Christi ex patris substantiâ cœlitùs delatum in uterum virginis, & cùm dicitur quòd *verbum Caro factum est*, per *verbum* intelligit, *verbum Enunciatum*, non personale; Alii ex spiritu S. materialiter, sed per Mariam transiviſſe, tanquam per Canalem instar radiorum solis per vitrum, ut substantiæ ejus nulla ex parte factus sit particeps: Ita quidem hæresin valentinianorum & Apollinaristarum ex inferis revocant; & omnes intolerabilis convincuntur erroris, solâ hâc promissione Abrahamo factâ, *In tuo semine benedicentur omnes familiæ terræ*, si enim Messias futurus erat de semine Abrahami, utique futurus erat verus homo de carne & sanguine Abrah. nasciturus; Quid enim magis humanum quàm semen hominis unde procreetur homo; huc facit illud Pauli *Heb.* 3. 14. *Quoniam pueri participes sunt carnis & sanguinis, ipse quoque consimiliter participes factus est, eorundem*, accedit promissio quæ extat *Esa.* 11. 1. *prodibit virgula é trunco succiso Ischai & surculus é radicibus ejus efflorescet.* sicut virgula & truncus, surculus & radix ejusdem sunt substantiæ & naturæ, ita David & Christus secundùm humanam naturam: accedant itaque jam vitrarii isti & & Canalium fabrarii, dicantque nobis, num radii solares, num aqua, num lapis per arborem jactus semen sint & fructus vitri Canalis, arboris. Benè *Cyrillus*, si phantasma erat incarnatio, phantasma & salus.

Quoad gravamina quæ afferunt iidem homines, sunt sequentia: 1. Christum ergo infectum fuisse peccato originali Mariæ 2. Eum respectu naturæ humanæ, Turcarum & Ethnicorum carnem assumpsisse, eumque fratrem Turcarum dici posse 3. Eos ergò in Christo salvatos iri, siquidem fratres ejus sunt 4. Carnem ergò Christi potuisse redigi in cineres & pulverem, quod est contra testimonium de sancto Domini corruptionem non visuro 5. sic Christum non posse dici per omnia nobis similem excepto peccato, quia natura illa non habeat substantiam humanam ut nostra.

Ad

Ad 1um respondetur Christum via ordinariâ natum non esse ex virginè, ut autem hæc intelligantur, notandum, Adamum qui aliorum respectu principium non tantùm *materiale* est sed & *activum*, à quo & per quam unà cum natura corruptio propagatur in posteros, respectu Christi, principii tantùm *materialis* naturam communicantis, rationem habere. Quod ipsum non magis mirum nobis videri debet, quàm alterum quod asserit Apost. *Heb. 7. 9. 10. Levi in lumbis Abrahæ decimatum* Christò non decimatô, qui ipse in iis latebat. *ut semen ejus Gal. 3. 16.*

Ad secundum absurdum, quærunt ubi nullum est, imo etiam fraternitas naturæ, non quidem gratiæ intervenit cum Christo respectu naturæ humanæ cum omnibus hominibus.

Adeóque ad 3um. negatur consequentia, quia ad salutem non sufficit fraternitas naturæ & communio carnis, sed requiritur insuper fraternitas gratiæ & communio spiritualis.

Ad 4. etsi concedatur corpus Christi utpotè ex elementis compactum potentiam in cineres redeundi habuisse, nihil tamen absurdi aut indigni ideò statueretur: nec quicquam etiam contra testimonium Davidis est, quod de *actu* non de *potentiâ* loquitur.

Quoad 5. Eô nihil decessit naturæ humanæ perfectioni, quia mansit substantiâ, mansit partibus suis & proprietatibus integra, mansit etiam individualis, imò tantò plus accessit, quantò majus est, subsistere in persona Creatoris, quàm subsistentiâ creaturæ. Dicendum itaque filium Dei, assumendo naturam humanam, non dedisse quidem ei suam ὑπόστασιν seu personalitatem *abstractivè*, sic enim ipsa quoque esset persona & ab æterno genita, sed eatenus communem effecisse quatenus quæ antè subsistebat in unâ tantùm naturâ Divinâ, per hanc assumptionem subsistere cœpit in duabus, Divinâ & humanâ quarum prior adsummens ἀνυπόστατος est per se, posterior assumpta, non ὑπόστασις sed ἐνυπόστατος seu ἐνυπόστασις ἐν ὑποστάσει, ut loquebantur veteres; hâcque ratione si ambæ naturæ partes personæ dicendæ sint, non erunt partes propriè sic dictæ, quæ incompletæ sunt respectu totius (id enim si maximè de humana, de Divina tamen natura non rectè dicitur) sed ut principia numero diversa: sicut ὑπόστασις Christi συνθετος numeri potiùs quàm partium respectu vocârunt veteres: vel si partes appellare liceat, extraordinariæ sunt, quemadm. Christus persona est extraordinaria. ἀνθρωπότης quidem filii completa fuit in se ante naturæ humanæ assumptionem, nec assumpta est natura humana ut eam compleret sed tantùm ut salutis negotium ad quod requirebatur persona θεάνθρωπος, cum ipsa perficeret.

XIII.

Itaque hæ duæ naturæ unitæ seu conjunctæ sunt in una personâ: In persona dico, quia facta est non in natura s. essentia Dei: nam ita natura humana Deus foret ἰσοθεότης; nec in natura aliquâ tertiâ in quam coaluerint, prout in homi-

erroris sui causâ, nempe ut Christum de nihilo corpus sumpsisse evincant, mulieres contendunt esse ἀζωόγονε: & ita *objicient*, nempe Aaronem & Jojadah, duxisse uxores ex tribu Jehudah, atque ità tunc confusam fuisse tribuum discretionem sin inesset mulieri generatiuum semen: sed notum est censeri progeniem ex virili semine, neque tamen præstantiam sexûs obstare, quo minùs in generando coeat semen mulieris. *Apollinaris* etiam falsò supponit animam Christi non fuisse creaturam, sed Divinitatem loco animæ corpus ipsius occupâsse, nam hoc commentum iterum refutatur ex historiâ Evangelica, quæ animæ Christi veræ & propriè dictæ, meminit, vide *Mat.* 26. 39. *Marc.* 14. 24. Nec favet illi locus Pauli *Col.* 2 9 ubi dicitur, *in Christo habitâsse omnis plenitudo Deitatis córporaliter*: non quòd in corpore Christi instar animæ informantis habitârit Divinitas, sed quòd per unionem hypostaticam Christus fuerit ille in quo non amplius umbraticè & typicò, sed verè habitaverit Divinitas scil. oppositè ad habitationem illam Dei in tabernaculo, ad quam etiam alludere videtur Joh. Baptista quando *Joh.* 1. 14. hâc phrasi utitur, ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν.

Quoad *Anabaptistas*, illi oppugnant etiam veritatem naturæ humanæ, *Menno* docet corpus Christi ex patris substantiâ cœlitùs delatum in uterum virginis, & cùm dicitur quòd *verbum Caro factum est*, per *verbum* intelligit, *verbum Enunciatum*, non personale; Alii ex spiritu S. materialiter, sed per Mariam transiviisse, tanquam per Canalem instar radiorum solis per vitrum, ut substantiæ ejus nulla ex parte factus sit particeps: Ita quidem hæresin valentinianorum & Apollinaristarum ex inferis revocant; & omnes intolerabilis convincuntur erroris, solâ hâc promissione Abrahamo factâ, *In tuo semine benedicentur omnes familiæ terræ*, si enim Messias futurus erat de semine Abrahami, utique futurus erat verus homo de carne & sanguine Abrah. nasciturus; Quid enim magis humanum quàm semen hominis unde procreetur homo; huc facit illud Pauli *Heb.* 3. 14. *Quoniam pueri participes sunt carnis & sanguinis, ipse quoque consimiliter participes factus est, eorundem*, accedit promissio quæ extat *Esa.* 11. 1. *prodibit virgula é trunco succiso Ischai & surculus é radicibus ejus efflorescet.* sicut virgula & truncus, surculus & radix ejusdem sunt substantiæ & naturæ, ita David & Christus secundùm humanam naturam: accedant itaque jam vitrarii isti & & Canalium fabrarii, dicantque nobis, num radii solares, num aqua, num lapis per arborem jactus semen sint & fructus vitri Canalis, arboris. Benè *Cyrillus*, si phantasma erat incarnatio, phantasma & salus.

Quoad gravamina quæ afferunt iidem homines, sunt sequentia: 1. Christum ergo infectum fuisse peccato originali Mariæ 2. Eum respectu naturæ humanæ, Turcarum & Ethnicorum carnem assumpsisse, eumque fratrem Turcarum dici posse 3. Eos ergò in Christo salvatos iri, siquidem fratres ejus sunt 4. Carnem ergò Christi potuisse redigi in cineres & pulverem, quod est contra testimonium de sancto Domini corruptionem non visuro 5. sic Christum non posse dici per omnia nobis similem excepto peccato, quia natura illa non habeat substantiam humanam ut nostra.

Ad

Ad 1um respondetur Christum via ordinariâ natum non esse ex virgine; ut autem hæc intelligantur, notandum, Adamum qui aliorum respectu principium non tantùm *materiale* est sed & *activum*, à quo & per quam unà cum natura corruptio propagatur in posteros, respectu Christi, principii tantùm *materialis* naturam communicantis, rationem habere. Quod ipsum non magis mirum nobis videri debet, quam alterum quod asserit Apost. *Heb.* 7. 9. 10. *Levi in lumbis Abrahæ decimatum* Christò non decimatô, qui ipse in iis latebat. *ut semen ejus Gal.* 3. 16.

Ad secundum absurdum, quærunt ubi nullum est, imo etiam fraternitas naturæ, non quidem gratiæ intervenit cum Christo respectu naturæ humanæ cum omnibus hominibus.

Adeóque ad 3um. negatur consequentia, quia ad salutem non sufficit fraternitas naturæ & communio carnis, sed requiritur insuper fraternitas gratiæ & communio spiritualis.

Ad 4. etsi concedatur corpus Christi utpotè ex elementis compactum potentiam in cineres redeundi habuisse, nihil tamen absurdi aut indigni ideò statueretur: nec quicquam etiam contra testimonium Davidis est, quod de *actu* non de *potentiâ* loquitur.

Quoad 5. Eô nihil decessit naturæ humanæ perfectioni, quia manstt substantiâ, manstt partibus suis & proprietatibus integra, manstt etiam individualis, imò tantò plus accessit, quantò majus est, subsistere in persona Creatoris, quàm subsistentiâ creaturæ. Dicendum itaque filium Dei, assumendo naturam humanam, non dedisse quidem ei suam ὑπόστασιν seu personalitatem *abstractivè*, sic enim ipsa quoque esset persona & ab æterno genita, sed eatenus communem effecisse quatenus quæ antè subsistebat in unâ tantùm naturâ Divinâ, per hanc assumptionem subsistere cœpit in duabus, Divinâ & humanâ quarum prior adsummens πρόσληψις est per se, posterior assumpta, non ὑπόστασις sed ἀνυπόστατον seu ἀνυπόστατος ὁ λόγος, ut loquebantur veteres; hâcque ratione si ambæ naturæ partes personæ dicendæ sint, non erunt partes propriè sic dictæ, quæ incompletæ sunt respectu totius (id enim si maximè de humana, de Divina tamen natura non rectè dicitur) sed ut principia numero diversa: sicut ὑπόστασις Christi συνθετος numeri potiùs quàm partium respectu vocârunt veteres: vel si partes appellare liceat, extraordinariæ sunt, quemadm. Christus persona est extraordinaria κατάστασις quidem filii completa fuit in se ante naturæ humanæ assumptionem, nec assumpta est natura humana ut eam compleret sed tantùm ut salutis negotium ad quod requirebatur persona θεάνθρωπος, cum ipsa perficeret.

XIII.

Itaque hæ duæ naturæ unitæ seu conjunctæ sunt in una personâ. In persona dico, quia facta est non in natura s. essentia Dei: nam ita natura humana Deus foret ἀφαίρεσις; nec in natura aliquâ tertiâ in quam coaluerint, prout in homi-

minibus usu venit sed in θεάνθρωπῳ filii Dei, tanquam communi suppositō & subjecto coniunctionis licèt verò duæ illæ naturæ sint inæquales inter se una infinita, altera finita, quarum nulla est proportio, id tamen coniunctionem ipsarum minimè impedit aut dirimit, ratio quia non consistit illa in earundem inter se exæquatione, ut sibi sint proportionatæ, sed in naturæ finitæ in infinita, humanæ in Divinæ existentia consistit, salvis & distinctis manentibus ipsis naturis, earum proprietatibus & operationibus: *Naturis* ut quæ etiam post unionem seu conjunctionem distinguntur in personâ *Rom.* 1. 3. 4 *filius Dei factus ex semine Davidis secundum carnem, & declaratus potenter secundùm spiritum sanctificationis* 1. *Pet.* 3. 18. *morte quidem affectus carne, vivificatus autem spiritu: proprietatibus* quæ cum enuncientur contrariè de uno eodemque supposito, κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο, secundùm aliam atque aliam ejus naturam intelligendæ sunt; quia verbum Dei esse non potest *etiam & non* 2. *Cor.* 1. 19. ut cùm filius hominis in terra loquens cum Nicodemo dicitur *esse in cœlis Joh* 3. 13. *Non esse nobiscum Mat.* 26 11. *& esse nobiscum cap.* 28. 20. *Esse filius Mat:* 1. *Luc.* 3. *semen Abrahæ Gal* 3 16 *& tamen ante ipsum fuisse Joh* 8. 58. *Operationibus* quia cibum *appetere Mat.* 4. 2. *Edere bibere cap.* 11. 19. *dormire cap.* 8. 24. *humanæ est* ἀσθενείας: videre *cogitationes cordis, absentem verbo sanare cap.* 8. 13. Divinæ.

XIII.

Licèt autem pro certō sciamus & teneamus duarum naturarum in Christo unionem revera personalem, certum tamen est quoad ipsum modum, nos longè certiùs scire, quid non sit, quàm quid sit. Non quidem est ~~enim~~ confusio duarum naturarum, sicut aquæ & mellis in hydromeli; non etiam unio formæ essentialis cum materiâ u. g. animæ & corporis. Itaque 1. notandum modestè & animo pio sufficere expressiones S. scripturæ, quæ non segregatim sed simul debent sumi, ita ut ex illis simul sumptis, quantum revelatum est concipiamus: ita u. g. cum hoc *Joh.* τὸν λογὸν *factum esse carnem*, conjungendus est alter ad *Tim. Deum manifestatum esse in carne*, ne credatur λόγος factus caro per aliquam transmutationem, & vicè versâ ne credatur illa manifestatio merè externa jungendus est ille locus Joh; nec non alii in quibus Christus reipsa dicitur *particeps esse carnis & sanguinis.* 2. Removendi sunt omnes illi falsi unionis modi ab extremis tùm Euthychis, tùm Nestorii. Nam ut bene *Theod. dial.* 2. *Ego utrumque effugere scopulum cupio & impiæ confusionis & impiæ divulsionis mihi enim utrumque nefarium videtur, & unum filium dividere in duos & negare dualitatem naturarum. Non ergò in aliam naturam mutatum est Domini corpus, sed mansit Divinæ gloriæ plenum et spargens lucis radios, cui sanctorum corpora erunt conformia. Justin. in expositione fidei, manet quidem corpus, siquidem Dominus corpus non est, factum quidem est corpus particeps divinæ dignitatis non naturæ, & August. in Epist. ad Past.* 174. *Nec separari fas est filium Dei a filio hominis,*

non

quia ipse filius Dei factus est filius hominis, non imitando quod erat, sed assumendo, quod non erat: huc respexerunt patres Concilii Chalcedonensis, quando contra hæreticos, coniunctionis hujusce modum 4. illis celebratis adverbiis declararunt, ἀσυγχύτως inconfusè, ἀτρέπτως inconvertibiliter, ἀδιαιρέτως, indivisè, ἀχωρίστως inseparabiter, ut facta sit absque commixtione duarum naturarum ad constituendam unam tertiam, citra conversionem vel naturæ Divinæ in humanam vel vicissim; absque Divisione naturarum in duas separatim subsistentes personas, manente perpetuò earundem unione, ne ipsâ quidem morte soluta. 3. Adaptanda sunt commodissima illa à rebus naturalibus similia, quibus illa unio adumbrari solet. Licèt enim plures adhibeantur similitudines ad illius unionis modum repræsentandum; duæ tamen potissimùm videntur posse observari, nempe *ferri igniti*, deinde *surculi trunco seu arbori insiti*: Nam 1. simile igniti ferri nobis repræsentat, quòd sicut exacta est ignis per totum corpus ferri penetratio, ita quoque λόγος omnes omninò humanæ naturæ partes assumpserit, & sibi intimè univerit 2. sicut in illo quasi composito ferri igniti reperiuntur duo principia *Quo*, quorum tamen operationes uni tantùm principio *Quod* sive quasi supposito tribuuntur; ita quoque in Christo duæ sunt naturæ diversæ quarum actiones, tanquam principia *Quo*, uni principio *Quod* scil. personæ tribuuntur 2. Quoad alterum simile à surculo & arbore desumptum, illud in multis est aptissimum, nam præter illam arctam Unionem & operationum communionem, quam in ferro ignito vidimus, insuper surculus ille insitus repræsentat optimè naturam humanam à λόγῳ assumptam: Nam sicut surculus non est suppositum, nec propriè veram habet subsistentiam quæ soli arbori competit; ita quoque natura humana non est suppositum, sed potiùs existit in λόγῳ ut assumptum, quàm subsistit; omnisque suppositalitas est personæ ipsius θεανθρώπου.

XV.

Effecta quæ hanc unionem consequuntur duplicis sunt generis: *Alia* quidem humanam Christi naturam; *Alia* personam ejus in utraque natura subsistentem concernentia. Primi generis censentur Gratia eminentiæ & Gratiæ habituales. *Gratia eminentiæ* est dignitas naturæ humanæ supra omnes Creaturas, orta ex ejusdem cum natura Divinâ unione, per quam propria filii Dei Caro est, argumento Locorum *Rom.* 8. 32. *Act.* 20 28. Quod de nulla alia creaturâ dici potest, cùm alii nulli subsistentiam in sua ὑποστάσει largiatur. *Gratiæ habituales* sunt eminentes illæ dotes quas natura Divina contulit in humanam & ei quasi implantavit; Insignis scientia, sapientia, sanctitas, potentia &c: habituales appellantur, quòd per modum habitûs existant in animâ ipsius; hæ etsi summæ omnino sunt, nec physicæ modò sed & hyperphysicæ, tamen donorum creatorum ordinem, atque ita Creaturarum conditionem non excedunt. Distinguntur autem à donis aliorum sive Angelorum sive

hominum quantumvis præcellentibus; tùm subjecti dignitate, tùm partium graduumque perfectione: Illâ quidem, quia non minùs dotes carnis quàm Caro ipsa sunt filii Dei: dicente Johanne *patrem non admetiri spiritum filio quem misit Joh.* 3. 34. 35. Istâ verò quia quæ in aliis sejunctæ, in Christo sunt conjunctæ, quæ in aliis imperfectæ, in ipso perfectæ reperiuntur. *Nam accepit dona spiritûs absque mensurâ Joh.* 3. 34. *& supra consortes Heb.* 1. 6. ubi tamen id tenendum est, dotes illas non ab ipso statim unionis primordio partibus omnibus, gradibusque perfectas fuisse; profecit enim Christus, ùt sapientiâ *Luc.* 40. 52. sic aliis virtutibus; sed paulatim & maximè post resurrectionem summam perfectionem esse adeptas: Contra quàm se res habet in gratiâ priore Eminentiæ, quæ perfecta statim fuit cum ipsa unione, atque etiam à filio singulariter, non verò ùt gratiæ habituales *Ps.* 45. 8. *Joh.* 3. 34. à tribus personis communiter, manat.

XVI.

Secundi generis effecta sunt, Communicatio proprietatum utriusque naturæ cùm personâ, & Communio officii, & qui ex eo est honoris inter Naturas. Communicatio quidem Idiomatum seu proprietatum est, quando dicit Paulus *Deum suo sanguine acquisivisse Ecclesiam & Dominum gloriæ crucifixum*; Item quando dicitur 1. *Joh.* 1. 1. *palpatum fuisse sermonem vitæ*; Deus certè, nec sanguinem habet, nec patitur, necmanibus tangi potest, sed quoniam is qui verus, Deus & homo erat Christus, sanguinem suum pro nobis crucifixus fudit; quæ in humanâ ejus naturâ peracta sunt, ad Divinitatem impropriè non sine ratione transferuntur: simile est exemplum ubi Joh. docet, *Deum posuisse animam suam pro nobis:* Ergo & illic humanitatis proprietas cùm alterâ naturâ comunicatur. Rursum cùm diceret Christus, adhuc in terris agens, *neminem in cælum ascendisse nisi filium hominis qui in cœlo erat*, certè tunc secundùm hominem, & in carne quam induerat non erat in cœlo; sed quia ipse idem erat Deus & homo, propter duplicis naturæ communionem, alteri dabat, quod erat alterius.

Circa hæc autem exempla solicitè notandum, hanc Idiomatum communicationem, sive indirecta sive directa sit, non dici realem nisi respectu fundamenti, quod probat & fulcit verbales illius enunciatiationes, quibus de Christo homine sæpe dicuntur quæ sunt Divinitatis, ob solam unionem personalem, tanquam fundamentum cui ejusmodi prædicandi modi innituntur.

Atque hæc observatio ad solvendos plures nodos non parvo usui futura est, si eam scitè accomodemus, mirum enim quantum multos etiam non prorsus indoctos torqueant ejusmodi formulæ, quas vident Christo attribui, quia non considerant, ejus personæ, in quâ Deus & homo est manifestatus, & Mediatoris officio eos congruere. procul enim à nobis abigendus est Nestorii error, qui dùm naturas distrahere potius quàm distinguere volebat, duplicem Christum ita comminiscebatur, quando scripturam videmus reclamare clarâ voce *Luc.* 1.

32. 43. ubi & filii Dei nomen inditur ei qui de virgine nascitur, & virgo ipsa mater Domini nostri appellatur. Cavendum & ab Eutychianâ insania, ne dum volumus personæ unitatem demonstrare utramque naturam destruamus. id quod fiat necesse est, si proprietatum utriusque naturæ fiat transfusio. nam ùt proprietas rei in rebus creatis ita cum subjecto identificatur, ut sit ipsamet rei essentia vel adæquatè vel inadæquatè considerata, sic etiam in Deo nihil est quod non sit ipse Deus; ut proinde qui naturam humanam omnipræsentem facit, simul etiam eam statuat Divinam. Interea notandum falsum esse hoc præsuppositum, nullam fore arctam & hypostaticam unionem duarum naturarum in Christo, nisi hæc communicatio sive transfusio realis admittatur. Nam 1. arcta satis unio à nobis concipitur & exprimitur, quando dicimus λόγον ita carnem esse factum, ut assumpserit omnes omnino naturæ humanæ partes, & arctâ adeò Unione, ut inde Communicatio Idiomatum, tàm directa, quàm indirecta consequatur 2. quandoquidem modus illius hypostaticæ unionis planè sit mysticus, illudque pietatis mysterium ne acumen quidem Angelicum penetrare possit, frustra sunt qui illud à nobis exactè definiri velint: Notandum quoque non valeré consequentiam, ab iis quæ scriptura tribuit Christo idest personæ ipsius ad ea quæ naturæ debent convenire. Et sic patet quomodo respondendum sit ad loca scripturæ, in quibus omniscientia vel omnipræsentia Christo tribuitur nominatim *Mat.* 28. 20. Ubi Christus promittit se *futurum cum discipulis suis usque ad finem mundi*, *& v* 18. Ubi dicitur *ipsi omnis potestas data in cælo & in terra*, nam illa de persona dicuntur non de natura: licèt quoad ultimum locum & *v.* 18. merito insuper negetur, ibi propriè potentiam aut omnipotentiam Divinam dici datam seu communicatam; mentio enim fit potestatis, non potentiæ, idest potestatis. quæ non est proprietas, sed potiùs ἀποτέλεσμα & opus Mediatorium: *Instant* verò & dicunt: Quod dicitur de *toto Christo*, id etiam dici debet de *toto Christi*, quia illud totum Christi in toto Christo continetur, & actio aut denominatio toti Christo attribuitur. *Resp.* Nulla est consequentia, quia notum est, in suppositis compositis denominationes esse quidem suppositorum ita tamen ut partes & principia *Quo* in illis suas sibi servent peculiares proprietates & incommunicatas, ita v. g. licèt de toto Petro dicam illum bene rationari, non sequitur illud quoque de corpore Petri esse intelligendum. Communionem officii evincunt ἀποτελέσματα θεανδρικὰ ab utraque naturâ & ab utriusque operationibus dependentia, ùt *cùm sanguis filii Dei nos dicitur purgare ab omni peccato* 1. *Joh.* 1. 7. *Et Deus acquisivisse Ecclesiam proprio* sanguine *Act.* 20. 28. utrâque quidem naturâ conferente quod suum est, pro suæ constitutionis & virium suarum conditione; ubi distingui debent ὁ ἐνεργῶν persona θεανθρώπου, principium ἐνεργητικὸν, ùt & ἐνέργεια duplex, utraque natura & utriusque proprietates distinctæ efficaciam suam exerentes, Et ἐνέργημα sive ipsum ἀποτέλεσμα quod θεανδρικὸν dicitur. quæ Veteres ferri candentis simili explicuérunt, Nam quà candens urit, quà acutum secat, & sicut supposi-

 taliter

hominum quantumvis præcellentibus; tùm subjecti dignitate, tùm partium graduumque perfectione: Illâ quidem, quia non minùs dotes carnis quàm Caro ipsa sunt filii Dei: dicente Johanne *patrem non admetiri spiritum filio quem misit Joh.* 3. 34. 35. Istâ verò quia quæ in aliis sejunctæ, in Christo sunt conjunctæ, quæ in aliis imperfectæ, in ipso perfectæ reperiuntur. *Nam accepit dona spiritûs absque mensurâ Joh.* 3. 34. *& supra consortes Heb.* 1. 6. ubi tamen id tenendum est, dotes illas non ab ipso statim unionis primordio partibus omnibus, gradibusque perfectas fuisse; profecit enim Christus, ùt sapientiâ *Luc.* 40. 52. sic aliis virtutibus; sed paulatim & maximè post resurrectionem summam perfectionem esse adeptas: Contra quàm se res habet in gratiâ priore Eminentiæ, quæ perfecta statim fuit cum ipsa unione, atque etiam à filio singulariter, non verò ùt gratiæ habituales *Ps.* 45. 8. *Joh.* 3. 34. à tribus personis communiter, manat.

XVI.

Secundi generis effecta sunt, Communicatio proprietatum utriusque naturæ cùm personâ, & Communio officii, & qui ex eo est honoris inter Naturas. Communicatio quidem Idiomatum seu proprietatum est, quando dicit Paulus *Deum suo sanguine acquisiviſſe Eccleſiam & Dominum gloriæ crucifixum*; Item quando dicitur 1. *Joh.* 1. 1. *palpatum fuiſſe ſermonem vitæ*; Deus certè, nec sanguinem habet, nec patitur, necmanibus tangi potest, sed quoniam is qui verus Deus & homo erat Christus, sanguinem suum pro nobis crucifixus fudit; quæ in humanâ ejus naturâ peracta sunt, ad Divinitatem impropriè non sine ratione transferuntur: simile est exemplum ubi Joh. docet, *Deum poſuiſſe animam ſuam pro nobis:* Ergo & illic humanitatis proprietas cùm alterâ naturâ comunicatur. Rursum cùm diceret Christus, adhuc in terris agens, *neminem in cælum aſcendiſſe niſi filium hominis qui in cœlo erat*, certè tunc secundùm hominem, & in carne quam induerat non erat in cœlo; sed quia ipse idem erat Deus & homo, propter duplicis naturæ communionem, alteri dabat, quod erat alterius.

Circa hæc autem exempla solicitè notandum, hanc Idiomatum communicationem, sive indirecta sive directa sit, non dici realem nisi respectu fundamenti, quod probat & fulcit verbales illius enunciatiationes, quibus de Christo homine sæpe dicuntur quæ sunt Divinitatis, ob solam unionem personalem, tanquam fundamentum cui ejusmodi prædicandi modi innituntur.

Atque hæc observatio ad solvendos plures nodos non paruo usui futura est, si eam scitè accomodemus, mirum enim quantum multos etiam non prorsus indoctos torqueant ejusmodi formulæ, quas vident Christo attribui, quia non considerant, ejus personæ, in quâ Deus & homo est manifestatus, & Mediatoris officio eos congruere, procul enim à nobis abigendus est Nestorii error, qui dùm naturas distrahere potius quàm distinguere volebat, duplicem Christum ita comminiscebatur, quando scripturam videmus reclamare clarâ voce *Luc.* 1.

32. 43. ubi & filii Dei nomen inditur ei qui de virgine naſcitur, & virgo ipſa mater Domini noſtri appellatur. Cavendum & ab Eutychianâ inſania, ne dum volumus perſonæ unitatem demonſtrare utramque naturam deſtruamus. id quod fiat neceſſe eſt, ſi proprietatum utriuſque naturæ fiat tranſfuſio. nam ùt proprietas rei in rebus creatis ita cum ſubjecto identificatur, ut ſit ipſamet rei eſſentia vel adæquatè vel inadæquatè conſiderata, ſic etiam in Deo nihil eſt quod non ſit ipſe Deus: ut proinde qui naturam humanam omnipræſentem facit, ſimul etiam eam ſtatuat Divinam. Interea notandum falſum eſſe hoc præſuppoſitum, nullam fore arctam & hypoſtaticam unionem duarum naturarum in Chriſto, niſi hæc communicatio ſive tranſfuſio realis admittatur. Nam 1. arcta ſatis unio à nobis concipitur & exprimitur, quando dicimus λόγον ita carnem eſſe factum, ut aſſumpſerit omnes omnino naturæ humanæ partes, & arctâ adeò Unione, ut inde Communicatio Idiomatum, tàm directa, quàm indirecta conſequatur 2. quandoquidem modus illius hypoſtaticæ unionis planè ſit myſticus, illudque pietatis myſterium ne acumen quidem Angelicum penetrare poſſit, fruſtra ſunt qui illud à nobis exactè definiri velint: Notandum quoque non valere conſequentiam, ab iis quæ ſcriptura tribuit Chriſto ideſt perſonæ ipſius ad ea quæ naturæ debent convenire. Et ſic patet quomodo reſpondendum ſit ad loca ſcripturæ, in quibus omniſcientia vel omnipræſentia Chriſto tribuitur nominatim *Mat.* 28. 20. Ubi Chriſtus promittit ſe *futurum cum diſcipulis ſuis uſque ad finem mundi*, & *v.* 18. Ubi dicitur *ipſi omnis poteſtas data in cœlo & in terra*, nam illa de perſona dicuntur non de natura: licèt quoad ultimum locum & *v.* 18. merito inſuper negetur, ibi propriè potentiam aut omnipotentiam Divinam dici datam ſeu communicatam; mentio enim fit poteſtatis, non potentiæ, ideſt poteſtatis. quæ non eſt proprietas, ſed potiùs ἀποτέλεσμα & opus Mediatorium: *Inſtant* verò & dicunt: Quod dicitur de *toto Chriſto*, id etiam dici debet de *toto Chriſti*, quia illud totum Chriſti in toto Chriſto continetur, & actio aut denominatio toti Chriſto attribuitur. *Reſp.* Nulla eſt conſequentia, quia notum eſt, in ſuppoſitis compoſitis denominationes eſſe quidem ſuppoſitorum ita tamen ut partes & principia *Quo* in illis ſuas ſibi ſervent peculiares proprietates & incommunicatas, ita v. g. licèt de toto Petro dicam illum bene rationari, non ſequitur illud quoque de corpore Petri eſſe intelligendum. Communionem officii evincunt ἀπὸ πλείονα θεανδρικὰ ab utraque naturâ & ab utriuſque operationibus dependentia, ùt *cùm ſanguis filii Dei nos dicitur purgare ab omni peccato* 1. *Joh.* 1. 7. *Et Deus acquiſiviſſe Eccleſiam proprio* ſanguine *Act.* 20. 28. utràque quidem naturâ conferente quod ſuum eſt, pro ſuæ conſtitutionis & virium ſuarum conditione, ubi diſtingui debent ὑπόστασις perſona θεανδρικὸν, principium ἐνεργητικὸν, ùt & ἐνέργεια duplex, utraque natura & utriuſque proprietates diſtinctæ efficaciam ſuam exerentes. Et ἐνέργεια ſive ipſum ἀποτέλεσμα quod θεανδρικὸν dicitur. quæ Veteres ferri candentis ſimili explicuérunt, Nam quà candens urit, quà acutum ſecat, & ſicut ſuppoſi-

taliter unum est, sic etiam ejus ἀποτέλεσμα nec ustio est simpliciter, nec sectio, sed ustio secta, & usta sectio.

Et ex hâc communione officii resultat ulteriùs adorationis & religionis cultus, qui propter officium Mediatorium Christo προσκυνέω defertur *Actor.* 7. 59. 60 Magis quidem venientibus ex oriente ut adorent Regem Judæorum qui natus erat *Mat.* 2. 2 & ipso Deo, cùm inducit primogenitum in orbem terrarum, dicente *adorent eum omnes Angeli Dei Heb.* 1. 6.

XVII.

Hæc ad Jesu Messiæ ortum: quantùm ad vitam ejus; fuit ea omni ex parte sanctissima; vixit etenim absque ulla labe & vitio ὅσιος, ἄκακος, ἀμίαντος, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν. In nulla unquam peccavit re, nullius criminis convinci à quoquam unquàm potuit. Quæ ab adversariis & hostibus ejus prolata, ita falsa fuerunt & inania, ut ipsos eorum pudere authores debuerit, & nemini non comperta fuerint putida mendacia. speciatim quæ dixit docuit, quæ egit quæque passus, si examinemus, singula sanctissimæ tum personæ tum officio Messiæ nostri examussim convenire palam est sicut & in sequentibus ubi ex occasione triplicis officii mediatorii, ex professo de hisce agendum erit, videbimus. Hinc & Paulus argumentum sumsit ad demonstrandum Jesum esse Messiam *Act.* 17. 3. *Aperiens & probans quòd Christum decuit pati & de mortuis resurgere.* Præterea quæ post Christi mortem ei contigerunt, Messiam quoque demonstrârunt, nempe primùm ejus é mortuis resurrectio juxta *Ps.* 16. 10. *Nam non relinques animam meam in sepulchro, non sines sanctum tuum videre corruptionem.* Quod in Davide verum non fuit, cujus notum fuit inter Judæos sepulchrum, & indubitata cadaveris corruptio pro communi fcil. mortuorum sorte: Tum idem eô significatum, quòd Messiæ regnum, futurum æternum, atque tamen eum moriturum, dictum quoque sit; quare ut regnum habêret resuscitandus erat. *Esa.* 53 10. 11. 12. *postquam posuerit animam suam in sacrificium pro delicto, videbit semen, prolongabit dies, & voluntas Domini per manum ejus prosperè succedet.* Deinde in cœlum ascendit secundùm *Ps.* 68. 19. *ascendisti in altum, duxisti captivam captivitatem,* debuitque ascendere, ut quod tertium ei servabatur obtineret. quod est sedere ad dextram Dei: Quod prædictum de eo fuerat *Ps.* 110. 1. *Dixit Dominus Domino meo, sede ad dexteram meam, usque dum inimicos tuos ponam scabellum pedum tuorum* Hinc non malè Christus per quatuor animalia Ezechieli ostensa designatur, fuit enim homo nascendo, vitulus moriendo, Leo resurgendo & Aquila ascendo, & quia ipse *Esa.* 61. 1. Evangelium annunciaturus dicitur, merito etiam quatuor Evangelistarum Emblemata ipsi κατ' ἐξοχὴν, tribuenda veniunt. Christus est arcus fœderis, lignum hujus arcûs est Divinitas, Chorda humanitas saris in passione extensa, Arcus fit sole intrante nubem, & Christus factus est filio Dei intrante in

virginem

ginem; Ignis & aqua in nube, Virginitas & fœcunditas in virgine; Arcus fit ex repercussione radiorum solis in nube aquosâ, nubes fuit Maria, peccatorum scil. multitudine obscurâ, radiis solis fuit repercussa, idest gratiâ Dei respersa. Christus fuit herba, quandò in præsepio reclinatus est, fœnum ante jumenta. Virgultum fuit in prædicatione suâ, quia *tunc protulit fructum multiplicem Esa.* 53. per totum caput. *Ascendet sicut Virgultum & radix ejus de terrâ sitienti*, Radix ejus Divinitas; sicut enim à radice occultâ totus fructus oritur, sic ex ejus Divinitate occulta oritur totiùs nostræ redemptionis fructus *Esa.* 45. 1. *Vere tu es Deus absconditus.* Terra fuit Christus in passione, terra enim in mediò statuitur, & ipse patiendo in cruce, operatus est salutem in medio terræ. Item terra infimum locum tenere dicitur, nec Christus magis potuit humiliari quàm patiendó pro nobis. Cœlum fuit in resurrectione & ascensione. Triplici vestimẽto, vestitus est Christus, byssô inocentiæ in nativitate, purpurâ in passione, hyacintho gloriæ in resurrectione. Atque omnia illa pro duplici vitæ statu Christi *humili atque exinanitionis* quo gloriam suam & majestatẽ ad tempus quasi seposuit, & occultavit, nempe quoad χρῆσιν non κτῆσιν, & sub abjectâ humanæ conditionis formâ latuit: *Tùm glorioso & exaltationis.* Nam illa duo de Messia scriptura testata fuerat, partim humilia, illustria partim, ut nisi ad duplicem ejus statum ac conditionem applicari nequeant. *Zach.* 9. 9. proponitur ut *Rex* atque etiam ut *Pauper Esa* 9 6 *puer natus* & simul Deus *fortis ac pater æternitatis*; *Esa.* 53. ejus passiones describuntur & mors, ùti quoque *Ps.* 22. alibi ut Rex & sedens ad dextram Dei & gubernans omnia *Ps* 2. & 110. & 118. *Dan.* 7. 11. 12. *&c:* Quæ meliùs de unius duplici vitæ statu exponuntur quàm de duobus Messiis; quod Judæi faciunt; Altero Messiâ filio Josephi cui nomen apud ipsos est *Nehemias* filius *Husiel.* Altero Davidis filio, quorum ille in prælio contra Gog & Magog sit occidendus; iste succedens ei regnum sit occupaturus. Quæ somnia multis in locis exponunt Targum in *Cant.* 4. *Aben. Ezra*, *Zach.* 9. 9 & *Malach* 3. 1. *Jarchi Kimchi*, *Abravanel* & Judæi passim; nam de Messia suo Ben Joseph locum vulgò capiunt in *Zach* 12. 10 *vid. author. Aukas Rochel sub signo nono* &c: ubi extat illa historia & fabula Messiæ filii Josephi; nam certè fabula est; Neque enim scriptura uspiam alterius vel duplicis Messiæ meminit, semper unius, ejusdemque; atque de hoc diversissima dicuntur, eôdem semper modô uti ostendimus ex *Zach.* 9. 9. 10. *Esa.* 53. 2. 3. 8. 11. nihil ut opus sit alium & alios comminisci.

XVIII.

Hæc autem omnia Christo Messiæ nostro, quæ ipsius de personâ hactenus diximus competere debuerunt vel hoc solo fine, ut idoneus mediator sive sequester, ut *Tertullianus* loquitur, inter Deum & nos esse posset, ut dissidium inter Deum & nos, partem offensam & offendentem tolleret, nos in Dei gratiam restitueret, ex filiis hòminum illius filios, ex hæredibus gehennæ, regni cœlestis hæ-

credos faceret. Huc collimat duplex illius ſtatus tùm exinanitionis tùm exaltationis; & ſecundùm utrumque quidem Mediatoris partes explevit, & 1. quoad utramque naturam.

Quis etenim hæc poterat niſi filius Dei, idem filius hominis, noſtrum accipiendo, ut transferret ad nos ſuum, & quod ſuum erat naturâ noſtrum faciendo gratiâ? Ejus erat mortem abſorbere quis hoc poterat niſi vita? Ejus erat peccatum vincere quis hoc poterat niſi ipſa juſtitia? Ejus erat mundi & aeris poteſtates profligare, quis hoc poterat niſi virtus & mundo & aere ſuperior? porro penes quem vita eſt aut juſtitia aut cœli imperium aut poteſtas niſi penes ſolum Deum? ſeſe ergo Clementiſſimus Deus in perſona unigeniti Redemptorem noſtrum fecit, dum nos redemptos voluit. Aaron geſtabat in fronte bracteam ſeu laminam ex auro puro, cui inſculptum erat *ſanctitas Jehovæ*: nonnulli laminam iſtam in fronte Pontificis additam volunt, ut tota Pontificis pulchritudo *Dei* vocabulô coronaretur ac protegeretur: Ita & ſummum ſummi noſtri Pontificis ornamentum eſt, quòd filius Dei eſt, adeoque verus Deus, Et hoc ſplendore niſi corruſcaret, fruſtranea eſſet omnis ejus oblatio, quippe cùm creaturarum nulla labores iſtos ſuſtinere potuiſſet; ſolus *Deus*, *Eccleſiam ſuam proprio ſuo ſanguine acquirere* potuit, *Act.* 20.28.

Ad idem verò Mediationis opus concurrit & humana natura, haud ſecus enim ac Moſes, quô cum populo cui voluntatem Dei revelare tenebatur, loqui ac converſari adeoque & mediatorem inter Deum & illos agere poſſet, ſanctæ faciei mirabili quidem gloriâ ac ſplendore emicanti, velamen imponere neceſſum habuit; Ita etiam Chriſtus, ut converſari nobiſcum atque infirmitatibus noſtris accommodare ſe poſſet Divinum ſuum ſplendorem velamine aſſumptæ carnis humanæ texit. Et ut homo ſuâ ſe inobedientia perdidit, remedii verò locô obedientiam opponere, judicio Dei ſatisfacere, pœnas peccati perſolvere oportuit; ſic etiam verè prodiit verus homo Dominus noſter, Adæ perſonam induit, nomen aſſumpſit ut ejus vices ſubiret, ac in eadem carne, pœnam quam meriti eramus perſolveret; Quum denique mortem nec ſolus Deus ſentire, nec ſolus homo ſuperare poſſet, humanam naturam cum Divina ſociavit, ut alteram morti ſubjiceret ad expianda peccata, alterius virtute luctam cum morte ſuſcipiens nobis victoriam acquireret. Qui ergò Chriſtum ſecundùm ſuam aut Divinitatem tantùm ut Oſiander ab hoc officio excludens humanam naturam, quippe efficaciam á mediatoris merito diſtinguere neſcius; vel ſecundùm humanitatem tantùm ut *Stancarus* (Oſiandro Collegæ ſuo ſervidiùs ſe opponendo in contrarium incidens) Mediatorium ſuſcepiſſe munus, ſtatuunt; Mediatoris quidem vel imminuunt Majeſtatem & gloriam, vel bonitatem obſcurant; ſed non minùs alterâ ex parte hominibus ſunt injurii, quorum fidem ita labefactant & evertunt, quæ non niſi hoc fundamento nixa ſtare poteſt; in quod impingere videntur quoque pontificii, Stancari quidem errorem declinare velle ſoliti, at verbis tantùm non reapſe, Licet enim *Bellarm. lib.* 5, *cap.* 1. *de Chriſto*, dicat diſtinguendum eſſe inter principium

principium *Quod* operatur est principium *Quo* agitur, ita ut scil. principium *Quod* operatur sit totum suppositum seu totus Christus; At verò principium *Quo* actu apotelesmata Mediationis nostræ exseruntur, in actumque deducuntur, sit tantùm natura humana, non verò Divina; sic enim locò dictò loquitur Bellarm., *tametsi Deus incarnatus erat, orabat, patiebatur, obediebat, satisfaciebat, tamen hæc omnia faciebat, secundùm formam servi, non verò secundùm formam Dei.* In quo tamen nihil à Stancaro diversum dicere potuit. Contra utrumque verò agunt illa scripturæ loca in quibus non modo Christus quatenus *Jehova, dicitur fustitia nostra Jer.* 23. 14. 15 *& per spiritum æternum se obtulisse*, sed insuper in quibus effecta Mediationis meritò Divinitati Christi debent competere, vel saltem non soli homini v. g. *remittere peccata Marc. 2. 7. mittere nobis spiritum S. Joh.* 15. 26. *a quirere Ecclesiam Act.* 20. 28. *reconciliare homines Rom* 5. 10. 11. Deinde ad hominem nempe adversus Pontificios, ostendendum est, quomodo jugulum sibi petant in hac quæstione, vel in eo, quòd velint & concedant Divinitatem Christi infinitam dignitatem conferre passionibus humanæ naturæ ipsius, ut patet vel ex eorum paradoxò jactatissimo, unam sanguinis guttam, non modò uni mundo sed pluribus redimendis parem fuisse.

2. Ut verò Christus officium hoc executus est secundùm utramque naturam, ita etiam solus, nam ut solus est θεάνθρωπος, solusque requisitis ad functionem mediatoriam necessariis vestitus, ita etiam unicus est *Mediator Dei & hominum* 1. *Tim.* 2. 5. Notandum hoc iterum contra pontificios qui in munus Mediatoris nostri sanctissimum injurii sunt, dum eo solo non contenti alios insuper quærunt; Excusare equidem se conantur distinctione illâ, quòd agnoscant quidem non nisi unicum *Redemptionis* mediatorem, plures verò *Intercessionis*; At observandum non simplices tantùm illos Christo adiungere intercessores, sed etiam tales qui virtute meritorum suorum apud Deum pro nobis intercedere debeant, ut patet non modò ex formalibus Missalis Romani verbis, sed etiam ex omnibus præcipuis eorum festis, nominatim Sti Thomæ, Andreæ, Damas. & Nicolai & aliorum. In festo enim Sti Nicolai ita orant: *Ejus meritis & precibus à gehenna liberemur. Vide Breviarum Roman. in festo Nicolai Epis. & confessoris Decem.* 6. Et in Leonis papæ festo hæc leguntur verba: *Ejus intercedentibus meritis ab omnibus nos absolve peccatis: Vide ibidem in festo Leonis papæ 3. April.* 77. & infinita talia alibi reperiuntur bene observanda in hac controversia contra astutos statûs controversiæ immutatores, qui quandoque nobis volunt persuadere indigetes illos Mediatores solum modò vocari, quòd precibus suis apud Deum intercedant pro nobis: Et verò nemo etiam potest esse Mediator intercessionis nisi etiam sit mediator Redemptionis ex 1. *Joh.* 2. 1. 2. *Si quis peccaverit Advocatum habemus apud Deum; habemus Jesum Christum Justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Et is demùm est verè Mediator Intercessionis propriè dictus qui Deum orat in nomine suo non alieno (quod sanctis competere non potest, nam orare Deum in nomine Christi semper tenentur) Deinde qui vi & virtute meritorum suorum semper apud Deum pro nobis potest intercedere & preces nostras certò & sine temeritate Deo offer-

re; Jam verò ut hoc præstare queat, debet ille cognoscere, An preces illæ Deo offerendæ in fide fusæ fuerint, quia aliàs temerarium foret, peccata non preces Deo offerre; *quicquid enim sine fide fit peccatum est*: neminem verò præter Deum cognoscere posse num fides in illis precibus interveniat, liquidò patet, quia solus *Deus corda & renes nostros novit.*

3. Functionem suam Mediatoriam executus est Christus mediante triplici officio, cujus exemplum egregium videmus editum in cruce, in qua 1. tanquam propheta concionatur: huc spectant illa verba in quibus 1. est concio Charitatis erga inimicos: 2. Misericordiæ erga pœnitentes 3. pietatis mutuæ inter parentes & liberos 4. fiduciæ humilis 5. patientiæ mirabilis 6. obedientiæ perfectæ 7. perseverantiæ invictæ. 2ò. Christus non tantum concionatur ùt propheta, sed etiam sacrificium offert ùt sacerdos. 3ò officium Christi Regium etiam cernitur in cruce, nam pugnat pro nobis contra hostes, gustando dolores infernales, & victoriam reportat de hostibus nostris mirabiliaque facit in cœlo & in terra per ubiquitatem Majestatis, ipse interim pendens in ara crucis secundùm infirmitatem humilitatis; nam sole Justitiæ moriente, sol cœli obscuratur, petrâ Ecclesiæ patiente, petræ terræ compatiuntur, Templo æternitatis destructionem sentiente, templum manu factum sensit scissionem veli &c: Ex hac ultima consideratione passionis Christi videmus quomodo crux Christi sit pictura triplicis ipsius officii: Est enim Cathedra & templum prophetæ concionantis, Altare sacerdotis sacrificantis & orantis, Denique stadium Regis vincentis & officina ejusdem mirabilia facientis. Ad singulorum quidem trium officiorum administrationem plures pertigerunt, at nullus ad omnia præter Christum. Melchiedsecus quidem erat Rex & sacerdos, David Rex & qropheta, Jeremia propheta & sacerdos simul, sed nemo ex illis simul propheta, sacerdos & Rex.

XIX.

Itaque Christus propheta esse debuit, sic enim de eo Moses vaticinatus fuit; *Deut.* 18. 15. *prophetam é medio tui ex fratribus tuis, sicut ego sum, suscitabit tibi Jehova Deus tuus, ei auscultate*: Hæc Christo applicantur in Evangelio, ubi dicitur, ὁ προφήτης ὁ ἐρχόμενος εἰς τὸν κόσμον, *Joh.* 6. 14. ὃν ἔγραψε Μωσῆς ἐν τῷ νόμῳ *Joh.* 1. 45. Atque expressè de Christo locus exponitur *Act.* 3. 22. 23. Deinde quod additum de propheta אליו תשמעון ipsum audietis, id confirmat illa de Messia dicta, namque hoc Pater de Christo, cœlesti voce pronuntiavit, jussitque eum audiri αὐτοῦ ἀκούετε *Mat.* 17 5. Tertiò in eo præsertim propheta hic æquiparatur Mosi, quòd uti is, sic quoque ille futurus esset Mediator Deum inter & populum *v.* 16 Neque verò locus exponi de Josua potest, quod *Aben Ezra*: vel de quocunque post Mosem prophetâ uti *Kimchi & Jarchi*: vel de Jeremia, quod alii faciunt 1. quia Josua quidem Mosis successor, at non item propheta fuit singulariter & διακριτικῶς ita dictus 2. Neque per eum Deus ita locu-

tus

cutus, quomodo per Mosem & per hunc prophetam se loquuturum prædicit. 3. Nulli, nec Josua, nec Jeremias, nec reliqui fuerunt, sicuti Moses, nulli cum Mose æquiparandi, & dicitur futurus כמני *sicuti ego sum* scilicet Moses. Quin exprsse dicitur *Deut.* 34. 10. *Non surrexit præterea propheta in Israele par Mosi, cum omnibus signis & prodigiis tùm omnibus operibus terroris maximi quæ fecit Moses ante oculos totius Israelis.* Quod R. Menasse confirmatum it quæst. ult. in Deut.

Prophetarum quidem fuit docere *Jer* 7. 25. 26. *Nehem* 9. 26. etiam prædicere futura. Unde antiquitus quidem *videntes* appellabantur 1. *Sam* 9. 9. Aliquando & facere miracula, hinc Elisæus dixit 2. *Reg.* 5. 8. *Veniat ad me & sciat prophetam esse in Israele*: quæ omnia Christus abundè præstitit; Nam & prædixit multa, tùm ipse, tum ipsius instinctu Apostoli *Mat* 16. 21. *Luc* 18. 31. 32. 33. 34. *Joh.* 6. 70. *Act.* 11. 28. 2. *Thess* 2. *Johannes in Apoc.* Illud argumentum vehementer *Chrysostomus* urget *Or.* 2. contra Judæos; ubi inter alia hoc Christi de muliere ejusque facto quòd se unxisset dictum, *ubicunque in universa terra prædicaretur Evangelium, illud ejus memorandum fuisse facinus Mat.* 26. 13. *ita extollit; Utrum mentitus est; An dixit verum? Evenit quod prædixit; An fuit inane vaticinium? Interroga Judæum, & si millies perfricuerit frontem adversus hanc prædictionem, non poterit oculos attollere: In omnibus enim Ecclesiis appellari mulierem audimus* 2. Etiam legem exposuit ac vindicavit a falsis interpretationibus & corruptelis scribarum & pharisæorum veterum authoritatem perperam prætexentium *Mat.* 5. 20. *& seq.* ita tamen ut nec legem correxerit, ut statuunt Sociniani, multò minus prorsus aboleverit, ut fanatici & Antinomi volunt. 3. Vaticinia prophetarum explicuit & applicuit ut u. g. locum celebrem *Ps.* 110. 1. de Messia sic Davidis filio futuro, ut eum tamen David vocet Dominum *Mat* 22. 43. 44. 45. 4. Evangelii doctrinam promulgavit & inculcavit. Nam quod *Esa.* 61. 1. extat *spiritus Domini super me, eò quòd unxerit me Jehova ad Evangelizandum mansuetis* &c: Kimhi in radicibus voce משח de Messia exponit, Christus sibi convenire ostendit in Evangelio *Luc.* 4. 21. 22. Quemadmodum enim oracula per Urim & Thummim certissima erant & veracissima, ita sermo Christi veritas est, qui illum sequitur in luce ambulat, non in tenebris; & quemadm. sacerdos summus auri & gemmarum splendore totus radiabat & fulgebat, quæ admirandos à se spargebant radios, consilii & voluntatis Dei characteres claros & certos; ita Christus est splendor gloriæ & Character personæ patris, *lux illa vera illuminans omnem hominem venientem in mundum*; Insuper haud secùs ac summus sacerdos responsa & oracula eliciebat & proferebat ex pectorali, quo cor ejus munitum erat; ita Christus é sinu patris protulit & revelavit Evangelium suum de remissione & vitâ æternâ omnemque voluntatem patris nobis exposuit, hinc Christus sermo vocatur, quia est orator Patris ad nos qui ex sinu patris profert Evangelium *ac omnia quæ audivit à patre suo, nota fecit nobis Joh.* 15. 15. Docuit enim Christus ac notam fecit salutis doctrinam, idque, vi & potestate plane divinâ ὡς ἐξουσίαν ἔχων, &

non uti scribæ, quod dicitur *Mat.* 7. 29. tùm per se, tum per alios ad hoc missos Apostolos ut totum mundum erudirent *Mat.* 28. 19. Nec verbis solùm & doctrinâ, sed factis quoque magnus fuit, seque prophetam demonstravit, unde *Luc.* 24. 19. *dicitur propheta potens opere & sermone coram Deo & omni populo*; Inter alia eminent ejus miracula, adeò certè testantia naturam ejus & officium & verum Messiam, ut auditores missosque ad se Johannis discipulos non alio responso abiegârit, quàm ut *observarent nuntiarentque facta sua Mat.* 11. 4. 5. fecit miracula quæ facere solius Dei est, *faciens mirabilia solus Ps.* 72 18. Deinde fecit miracula pro arbitrio cùm vellet: Non ita prophetæ ulli. Nam solius Dei hoc est, *qui in cœlis est, quodcunque vult facit, Ps* 115 3 & 135. 6. *quicquid Iehova vult facit, in cœlo & in terra, in mari & abysso omni.*

Tertiò miracula fecit suâ potestate, & discipuli ejus per eum & ejus nomine ut patet *Mat.* 9. 28. Et quidem magna, maxima quæque, nulla vi aut arte humanâ patranda Præterea cujuscunque generis miracula in hominès, Dæmones, mare, tempestates, panes, pisces, &c: eaque singularia, ad quæ homines dicerent; à sæculo talia non fuisse audita *Ioh.* 9 32 & in aperto illustria & manifesta, non clanculùm in angulis & latebris, sed ubi omnes videre ac testari poterant, quæ quantaque ederentur, coram magna passim hominum turbâ ac frequentiâ, unde hoc aliquoties in historia occurrit, *videntes turbæ admirabantur*. fecit etiam plurima miracula: R. Menasse Mosen præcellere fecit reliquis prophetis copiâ miraculorum, nam à Mose vel ejus causâ edita recenset miracula sex supra septuaginta, à reliquis autem prophetis omnibus, modò septuaginta & quatuor; At certè plura fuerunt Jesu nostri miracula; adeò ut populus hinc palam diceret obstupefactus: *Messias quando veniet, an quidem plura his, quæ ille facit patrabit miracula?* Et Johannes in fine historiæ, quod vix mundus libros caperet, si quidem ad unum omnia scriberentur quæ Jesus fecit. Hyperbole quidem, sed quæ monstrat quantus miraculorum Christus numerus fuerit, copia quanta. Hocque in miraculis Christi prorsus singulare est, quòd illa fecerit in suam gloriam *Ioh.* 2. 11. *hoc initium miraculorum fecit Christus in Cana Galilæa & manifestavit gloriam suam, atque crediderunt in eum discipuli ejus.* Quod Judæi excipiunt, Christum miracula fecisse non virtute propriâ sed arte magicâ, sive quam in Aegypto didicerit & attulerit inde sive per *Schemhamphoraseh*, vim nominis tetragrammati sibi explorati calumnia est & blasphemia responso non digna. *Tricæ sunt apinæque, aut si quid vilius istis.* Nisi tædeat, vide de eo *Martini Raymundi pugionem fidei, part.* 2. *cap.* 7. *& Lutheri librum de shemhamphoras.*

XX.

Eriam sacerdos Messias esse debuit, de quo *Ps.* 110. 4. *Tu es sacerdos in æternum juxta ordinem Melchisedeci*; quem plalmum non de Abrahamo intelligendum, uti *Jarchi* vult, & R. *Lipman*: neque de Davide, uti *Aben Ezra* & *Kimchi* putant, probamus 1. quia non illi ad dextram Dei collocati, 2. Nec eorum

ceptrum

ſceptrum emiſſum ex Zione 3. Non illi conſtituti à Deo ſacerdotes, non cum Dei etiam juramento. 4. Non æterni 5. Non de Davide accipi poteſt, quia eſt pſalmus Davidis de Domino ſuo 6. Chaldæus exponit de מימרה 7. *R. Saadias* de Meſſia fatetur pſalmum accipiendum *comment. in Dan.* 7. 13. *Author Aukas Rochel apud Hulſium pag* 80. *Zach* 6. 12. 13. *Objiciunt*, quidem prædicti Rabbini 1 propterea de Chriſto hæc verba non poſſe intelligi, eò quòd non obtulerit carnem & ſanguinem juxta ſacerdotii ritum à Moſe inſtitutum ſed *Reſp.* Licet Chriſtus non obtulerit carnem & ſanguinem pecudum juxta ritum ſacerdotii Moſaici, ſacerdotem tamen eum fuiſſe, imò eò magis ſacerdotem, quòd omnes ſacerdotes legales ejus tantùm typi fuerint, eo fine inſtituti ut Chriſti ſacerdotium præfigurarent quantò itaque corpus præſtantius eſt umbrâ, tantò etiam præſtantius Chriſti ſacerdotium Aaronicò: Quod eluceſcet magis ex differentia utriuſque: fuerunt itaque 1. ſacerdotes Aaronici typi tantùm Chriſti, unde apparente corpore, neceſſariò diſparuerunt umbræ & figuræ, prout etiam apparente lumine ſolis diſparet lumen ſtellarum 2. Illi habuerunt etiam opus ut ſacrificaſſent proſemet ipſis, non ita Chriſtus 3. Illi offerebant non niſi ſanguinem boum, taurorum & agnorum, Chriſtus autem obtulit ſanguinem θεανθρώπε 4. Illi ſacerdotes duntaxat erant, non ſacrificia, Chriſtus & ſacerdos & ſacrificium ſimul fuit, propriâ quidem carnem & ſanguinem Deo patri offerendo velut victimâ pro peccatis humani generis, quod ſacrificium omnibus illis ſacerdotum legalium ſacrificiis fuit adumbratum. *Chriſtus eſt ſacerdos & ſacrificium, Deus & templum* inquit *Auguſt. Sacerdos per quem reconciliati ſumus, ſacrificium quo reconciliati ſumus, Templum in quo reconciliati, Deus cui reconciliati* 5. ſacrificium Chriſti ſemel oblatum, tanti fuit valoris, ut ſufficiens fuerit redimendis omnibus hominibus; Cùm é contrario ſacerdotes legis plura obtuliſſent ſacrificia & ſæpius; quod quidem factum, quia peccatis expiandis ex ſe non ſuffecére 6. ſacrificium Chriſti mundat conſcientiam, cui etiam ſacrificia legalia faciendo ex ſe paria non fuêre 7. Et quemadm. in veteri lege, ſummus ſacerdos ſolebat quotannis ingredi ſanctuarium cum ſingulis tribuum nominibus pectorali ſuo inſculptis, quæ quidem Deò repræſentabat pro iiſdem interceſſurus, Chriſtus verò aſcendit & ingreſſus eſt ſanctuarium ipſum cœleſte, ſanctuariò illo terreſtri adumbratum, ut ibidem pro nobis intercederet. 9 Denique ſub lege ſacerdos ſummus, poſtquam obtuliſſet ſacrificium ſolus ſanctum ſanctorum ingrediebatur, populò in atrio relictò ſolò, At Chriſtus oblatò pro nobis ſacrificiò ſanctuarium ingreſſus cœleſte, nobis omnibus etiam ſimul illuc ingrediendi libertatem conciliavit *Heb.* 10 19.

2 *Objiciunt* Judæi, propterea etiam verba pſalmi citati de Chriſto intelligi non poſſe, eò quòd nullâ ratione Chriſtus poſſit dici ſacerdos æternus juxta ordinem Melchiſedeci, nec ratione perſonæ; ut ſit æternus ſacerdos ſicut Melchiſedecus fuit, nec ratione familiæ, quatenus ſacerdotii æternitas conſiſtat in dignitatis ſacerdotalis per filios & Nepotes propagatione, idque juxta ordinem ſive ſucceſſionem poſterorum Melchiſedeci; non quidem ratione per-

sonæ eò quòd Melchisedecus non fuerit sacerdos in æternum, quia mortuus est. Ergo nec Jesus Nazarenus sacerdos in æternum dici potest juxta ipsius ordinem sive ad ipsius imitationem, quasi in hoc tertio convenirent. Non ratione familiæ, quia Christianorum sacerdotes, quos Jesus Nazar. instituisse dicitur, non habent successionem filii in locum patris, sed eliguntur prout visum fuerit.

Resp. Christum esse sacerdotem in æternum non ratione successionis in familiâ, sed ratione personæ. Ipsius enim sacerdotium quoad vigorem ejus & efficaciam est æternum sine principio & fine, & sacrificium illud quod ipse Deo patri obtulit, æternæ Electionis & hominum servandorum salutis est fundamentum; si quæratur quomodo hoc etiam in Melchisedeco ad cujus imitationem Christus talis futurus erat, verum esse possit? Resp. Comparatio inter Christum & Melchisedecum non habet σχέσιν ad sacerdotii æternitatem sed ejus dignitatem duntaxat, ac si dixisset psaltes, *sacerdos eris in æternum* scil. non ad modum sacerdotum Leviticorum, qui nudi sacerdotes erant, sed longè digniorem, Melchisedeci. nim. qui Rex & sacerdos simul fuit, sic tu æternus Rex es & æternus sacerdos. Aliæ hujus comparationis rationes præter hanc afferuntur in Epist. ad Heb. Quas interpretes ibi exponunt. Convenientia autem sacerdotii Christi cum Melchisedeciano in hoc consistit; 1. Quod Melchisedecus fuit ἀπάτωρ ἢ ἀμήτωρ, quatenus ipsius parentum in scriptura nulla fit mentio; sic Christus in terris non habuit patrem, in cœlis non matrem 2. non fit mentio mortis vel successoris Melchisedeci, sic Christus est æternus ratione Divinitatis & habet sacerdotium & Regnum æternum, in quo nullus ipsi potest succedere. 3. Melchisedec significat Regem Justitiæ, ità Christus non tantum Justitiæ Rex, sed Dominus ipsa *Justitia nostra* audit *Jer.* 23. 6. 4o. Melchisedec fuit Rex salem ideſt Rex pacis, ita etiam Christus princeps pacis dicitur *Esa.* 9. 6. 5o Melchisedec fuit sacerdos pariter & Rex ità & Christus. Pontificii insuper aliam addunt convenientiam, nempe quod quemadm. Melchisedecus obtulerit panem & vinum ita etiam Christus in ultima sua Cœna obtulerit sub specie panis & vini proprium corpus suum; At 1. si consideramus textum *Heb.* 7. Nulla ibi planè est comparatio inter sacrificia, sed tantùm persona comparatur cum persona 2. Non dicitur in loco *Gen.* 14. 18. Melchisedecum panem & vinum obtulisse, sed solummodò produxisse (הוציא non הקריב) non ut ista elementa Deo velùt sacrificium offerret, sed ut illis defessos Abrahami servos reficeret 3. Licèt Deo obtulisset panem & vinum, quid hoc ad sacrificium N. T. cujus subjectum non panem & vinum, sed carnem & sanguinem Christi sub speciebus panis & vini esse contendunt?

XXI.

Munus autem suum sacerdotale obiit, cùm mandato patris maledictam crucis mortem pro nobis subijt, seque ipsum pro peccatis hominum victimam propitiatoriam

pitiatoriam Deo patri obtulit, atque innoxium se in ara crucis mactari passus est; partim adhuc assidue obit, dum redivivus hominum causâ in cœlo coram Dei facie continenter apparet proque fidelibus efficaciter intercedit, advocatum scil. ac patronum fidelissimum se iis semper præstans. Consistit itaque in satisfactione pro nobis & intercessione: secundum illam non tantùm universalem ac perfectam legi Dei ad mortem usque obedientiam præstitit, sed & ex Dei mandato mortem alacriter pro nobis subiit; satisfactio itaque pro culpâ nostra respondet passionibus Christi, meritum vitæ æternæ pro nobis respondet perfectæ ipsius Justitiæ; satisfacere enim cui respondet ἱκανὸν ποιῆσαι *Marc.* 15. 15. in hac materiâ notat facere totum illud quod lex Divina postulat, ad obtinendum jus vitæ æternæ. In lege Dei consideranda est exsecratio, cui ea transgressores subjicit, nosque omnes subjecti eramus *Rom.* 3. 19. à qua Christus nos liberavit *factus pro nobis exsecratio Gal.* 3. 13. Considerandum est etiam mandatum sub cujus præstiti conditione vita æterna promittitur: hanc conditionem Christus pro nobis implevit, *& nos per ipsius obedientiam Justi constituimur Rom.* 5. 19.

Satisfactionis autem hujus considerabimus ulterius 1. Necessitatem 2. veritatem 3. Naturam. Quoad Necessitatem refunditur illa tùm in Justitiam tùm in veracitatem Dei. Justitia quidem satisfactionem postulavit pro peccatis nostris & legis implectionem, priusquàm *justificaremur* justitiâ illa Dei quæ per Evangelium revelatur ex fide in fidem. *Rom.* 1. 17 & 10. 6. *Illum enim præstituit Deus ut esset placamentum per fidem in sanguine ipsius ad demonstrationem justitiæ suæ propter dissimulationem peccatorum quæ antecesserunt, Deò illa tolerante ad demonstrationem justitiæ suæ præsenti tempore, ut sit ipse Iustus & Justificans eum qui est ex fide Jesu.* Atque hoc pacto *legem non reddimus inutilem imò stabilimus Rom.* 3. 25. 26. Deo quidem naturalis & essentialis est sua bonitas, sanctitas, puritas, rectitudo, amor justitiæ, odium & aversatio peccatorum: hinc peccata si dentur non possunt non puniri: quia Deus necessariò facit convenienter naturæ suæ quam abnegare non potest; sed exprimit in operibus suis *Exod.* 20. 5. *Deut.* 25. 16. *Is.* 24. 19. *Ps.* 5. 5. 6 7. *Esa.* 1. 13. 14. *Rom.* 3. 5. 1. *Joh.* 1. 5. Hinc *ignis consumens* dicitur *Deut.* 4. 24. *Heb.* 12. 29. Cujus efficacia in *puniendis & non dimittendis peccatis* proponitur *Exod.* 34. 7. *Num.* 14. 18. *Rom.* 1. 18. *Heb.* 2. 2. unde terror iste *Esa.* 6. 5. *Gen.* 32. 30. *Jud.* 13. 22. & alibi: Hancque suam naturalem rectitudinem justitiæ amorem & peccati odium expressit ac revelavit, in lege datâ primùm in paradiso, ubi arbor vitæ obedientibus vitam promisit, Comedentibus autem de arbore scientiæ boni & mali, sanctio pœnalis mortem interminata est, *Gen.* 2. 17. atque insuper lege insculptâ hominum omnium & singulorum naturæ: hinc agnoscunt δικαίωμα illud Dei *Rom.* 1. 32. *Rom.* 2. 14. 15. Hinc emanârunt provocationes illæ ad justitiam Dei in oppressionibus atque injuriis; innumera placando numini ἐξιλασμοὶ, lustrationes, expurgationes, profanorum à sacris abstentiones, itemque axiomata illa, ἔχει θεὸς ἐκδικον ὄμμα, *Aspicunt cœlis*

superi mortalia iustis. Lento gradu ad vindictam sui Divina procedit ira, tarditatemque supplicii gravitate compensat; Rarò antecedentem scelestum deseruit pede pœna claudo. Hinc etiam emanavit Theologia de Nemesi Δίκη. Rhadamanto &c: Et tandem illam Deus revelavit lege, proùt per Mosem lata est, vitam exsertè promittente facientibus omnia ista *Levit* 18 5 *Rom.* 10 5. Mortem verò sive maledictum interminante non manentibus in omnibus istis scriptis *Deut.* 27 26. *Gal* 3. 10 Accedit insuper quod Odium peccati sit Deo essentiale, odisse verò peccatum sit velle punire & quia odium Dei adversus peccatum sit summum, ideo tendat necessariò ad peccatoris destructionem. Quin si *Deus* potuisset sine satisfactione dimittere peccatum impunitum, quis credat Deum potuisse filium suum unigenitum & dilectissimum tàm ignominioso supplicio, tamque crudeli morti exponere 2 Eadem necessitas rejici debet in veracitatem Dei, qui non solùm mortem & maledictionem comminatus erat peccato, *Quo die de eo comederis morte morieris Gen.* 2. 17. & *maledictus qui non præstiterit verba legis hujus faciendo ea, Deut* 27. 26. sed insuper peccati expiationem satisfactione Christi, tum in victimis legalibus, quæ ideo *peccatum* dicebantur, præfiguraverat, tùm per prophetas prædixerat nominatim *Esa.* 53. 4 5. 10. 11.

Ut occuratur obi. notandum 1. diversam esse rationem hominis & Dei in cedendo de jure suo, potest creatura de suo jure remittere, quia odium peccati in ipsa non est essentiale, sicut est in Deo; si valeret enim consequentia, ab eo quod potest facere creatura, ad id quod pariter Deus possit facere sequeretur quòd sicut creatura potest abdicare suum Dominium in suum seruum, ita etiam *Deus* suum imperium in suam creaturã, quod quàm absurdum sit, patet omnibus qui nôrunt quod impossibile sit creaturam evadere independentem 2. Notandum *Deum* nihil relaxasse de suo jure in vindicando peccato, dùm in nostris personis illud non vindicavit, sufficiebat enim justitiæ Divinæ satisfactio, ut pretium infinitum penderetur pro demerito & peccato infinito; nempe ùt inter homines essentialiter & sufficienter satisfit creditori, sive ipsa persona rea sive obses exactè omne debitum expungat. Hinc & falsò adversarii supponunt justitiam *Dei* infringi, si in nostris personis non luamus, nam sponsor noster nostram assumpserat naturam, ita ut in eadem naturâ quæ peccaverat, peccatum fuerit punitum, & expiatum nec enim justitia vindicatrix omnem ἐπιείκειαν rejicit aut illi contrariatur; Nec majori fundamento instant, Insontem pro sonte punitum ergo fuisse, si loco nostri substitutus fuerit Christus; Nam id injustum fuisset, si insons prorsus fuisset id est, si non ultrò adoptasset nostra peccata sibi imputata, sique innocens & invitus potestatem membrorum suorum non habens pro nobis sustulisset pœnas, sed nihil tale reperitur in Christo. Notandum 3. Non posse probari *Deum* relaxare vel unquam relaxasse de suo jure & justitiâ suâ essentiali: quòd enim dicunt *Deum* non plus punire myriadas peccatorum quam unicum, eò quod si unicum tantùm peccatum aliquis homo commisisset

commisisset, æternas quoque & gehennales pœnas pertulisset; Negatur consequentia, quia discrimen adhuc potest obtinere in passione pœnarum licèt gehennalium & æternarum, etiamsi enim conveniant extensive quoad durationem, differunt tamen intensivè quoad intensionem dolorum, vermis conscientiæ &cruciatuum quos differenti modo patiuntur diversi peccatores.

XXII.

Satisfactionis verò veritatem docent etiam plurima S. scripturæ loca, quia verò Sociniani putant Christum vere non fuisse Redemptorem, nec propriè satisfecisse, ante omnia præstò ad manum haberi debent illa loca, in quibus Christus non simpliciter dicitur nos redemisse, sed etiam redemisse per interpositionem pretii Deo exhibiti 1. *Cor* 6 20. ubi pretium intervenit; Et idem pretium specificatur 1. *Pet.* 1. 18. 19. *pretiosus scil. sanguis*, alibi verò dicitur vita & anima Christi. *Mat.* 20. 28. nam per hæc priora loca satisfieri potest querulæ Socini exceptioni, vocem *Redimendi* sumi impropriè, prout cùm apud prophetam Ezechiel invitantur fideles, *ut veniant emptum sine pretio cap* 55. 1. 2. Notanda etiam illa loca in quibus obviam itur etiam huic Socini exceptioni; Christum nostro quidem bono obisse, sed non nostro loco; notanda sunt, inquam, illa loca in quibus Christus non modò vitam & animam suam dedisse dicitur, sed & dedisse dicitur tanquam λύτρον ἀντὶ ἡμῶν vel etiam ἀντὶ πολλῶν ut *Marc.* 10. 45 *Mat.* 20 28. & quando dicitur datus ἀντίλυτρον 1. *Tim.* 2. 6. Nam bene notandum est, adversariis istam vocem ἀντὶ, ideo omnem cavillandi ansam præripere, quòd non possint negare, illam veram satisfactionem denotare. Ut porrò adhuc eorum exceptionibus obvietur notandum 1. pretium redemptionis nostræ non fuisse persolutum *Diabolo*, sed *Deo*, licet enim dicatur *Diabolus* nos captivos retinuisse, id præstabat tantùm ut Commentariensis & Minister vindictæ *Divinæ* 2. Notandum non sequi illud pretium non potuisse persolvi Deo, eò quòd Deus sit qui Christum dedit, quasi frustrà videatur futurum fuisse, si *Deus* dedisset resumendum id quod potuisset prius retinere: nam potuisset quidem *Deus* Christum retinere, sed non ùt pretium Redemptionis, quia tale non poterat nisi per traditionem & quidem in mortem 3. Nec valet *instantia*, Deum ergo pretium sibi soluisse. Nam Christus non solvit illud pretium nomine patris sed suo, & voluntariè quidem se offerendo patri ùt Judici offenso, & à se διαφόρῳ distincto. 4. frustrà contendunt adversarii, Christi pœnas non fuisse infinitas, eò quòd non fuerint æternæ; licet enim tales non fuerint duratione, fuerunt tamen tales extremitate dolorum. secundò si non fuerunt infinitæ passiones naturæ humanæ, & quoad suam essentiam in genere *Entis*, ut loquuntur scholastici, fuerunt tamen tales in genere *Moris* per moralem valorem qui censetur ad dignitatem personæ integræ, nempe Christi qui persona est infinita. Nec valet exceptio hæc; si ab infinitate personæ censeri debet infinitus valor pretii, sequitur non opus habuisse Christum mori,

sed unicam guttam sanguinis utpotè infiniti valoris, mundum redimere potuisse Negatur enim illa consequentia, eò quòd licet consideremus guttam illam Christi, potuisse dici summè dignam & pretiosam, concedere tamen nolimus eam posse dici infiniti valoris seu infiniti pretii; eò quòd pretium redemptionis nostræ debuerit esse mors, juxta illam comminationem legis à nobis superiùs memoratam. Nec valet etiam consequentia hæc, Christum ergò debuisse toties mori, quoties quilibet homo peccavit, eò quòd ut inquiunt adversarii singulo infinito malo, singulum quoque infinitum remedium debeatur seu pretium Redemtionis. observandum enim est, quomodo peccata nostra dicantur mala infinita; talia quippe sunt, non propriè intrinsecè, sunt enim actiones naturâ suâ finitæ, sed impropriè tantùm & objective quatenus objectum infinitæ dignitatis lædunt; *At λύτρον à Christo persolutum* est infinitum intrinsecè, propriè & subjectivè propter intrinsecam dignitatem personæ Christi ita ut ergò infinitum istud subjectivè & propriè dictum æquipolleat multis & quidem infinitis aliis impropriè ita dictis, idest λύτρον Christi subjectivè infinitum par sit multis peccatis objectivè tantum infinitis, expiandis & diluendis.

XXIII.

Natura satisfactionis à Christo præstitæ præcipuè à materia venit considerandæ: Illa verò consistit in eo quòd Christus omnem obedientiam & omnem simul Justitiam à primo tempore suæ exinanitionis usque ad mortem præstiterit, idest satisfactio Christi complectitur tàm justitiam activam quàm passivam, ita ut licèt hîc discrepantes sint inter Theologos sententiæ, dùm alii volunt, solam obedientiam & Justitiam passivam quam Christus in morte & per mortem suam Deo patri præstitit pro nobis satisfactoriam fuisse; Alii utramque justitiam tàm activam quàm passivam, idest tùm eam quam obedientiâ suâ legi præstitit totô uitæ suæ curriculo; tum eam quam morte suâ in cruce: putamus posteriorem sententiam longè tutiorem esse & quidem ob sequentium rationum momenta 1. ratio desumitur ex *Rom.* 5. 18. 19 ubi justitia secundi Adami nos justificans dicitur obedientia, ac proinde non consistens demùm in ipsamet morte quatenus morte Christi passivè sumptâ: Licet enim sint qui *excipiant* hîc intelligendam esse obedientiam eam demùm in particulari quam Christus in ipsa morte testatus est, tamen 1. probabiliter possumus regerere omnem omninò & universaliter obedientiam posse hîc intelligi, nomine communi *obedientiæ* & Justitiæ sumptô: Deinde vel ex confessione eorum retorquemus rationem nostram, nam si hîc etiam intelligitur illa obedientia quâ Christus mortem pertulit, sequitur hîc intelligi etiam *justitiam* aliquam activam. Nam illam ipsam obedientiam distingui ab ipsa morte patet ex eo quòd ipse Christus dicatur *Heb.* 5. 8. *didicisse obedientiam ex iis quæ passus est.* Alter locus jungatur æque expressus *Rom.* 8. 3. ubi Apostolus docet 1. nostram redemptionem seu Justificationem consistere in eo quòd impletum est in nobis *jus* legis, unde ergò concludendum

concludendum juſtitiam quoque activam ad redemptionem noſtram fuiſſe neceſſariam. Deinde colligimus ex eo loco (quod maximè venit conſiderandum) hoc jus legis impletum, non *ſimpliciter*, ſed *in nobis*, & eo ipſo quòd Chriſtus factus ſit caro, ideſt eo ipſo quòd Chriſtus activâ obedientiâ ſe ipſum exinaniverit. Nec valet hîc *exceptio* quorundam, quaſi per iſtud jus legis de quo hîc agit Apoſtolus intelligendum ſit ſolùm id quod lex exigit ad pœnam ſeu ſatisfactionem pœnalem; Nam qui ſic illud δικαίωμα τοῦ νόμου volunt intellectum, recedunt 1. à conſenſu ferè omnium interpretùm 2 à ſtylo S. ſcripturæ, quæ ordinariò per iſtud δικαίωμα intelligit illam amuſſim & formam vitæ, qualem lex per omnia obedientiæ capita exigit; vide inter alia loca *Luc.* 1. 6. *Rom.* 2. 26. *Apoc.* 19. 8. ità ut nunquam illûd δικαίωμα in ſacris literis, pro pœnis ſumatur vel ſupponatur 3. In hoc Apoſtoli loco jus illud dicitur impleri in nobis, at non impletur jus legis per peccatorum tantùm punitionem & maledictionem, cùm jus legis non ſit, ùt tantùm *puniantur prævaricatores*, ſed etiam ut *vivant factores legis* ſeu per propriam ſeu per alienam operam. Denique contextus per ſe difficultatem omnem tollit, quando nempe 1. *Cor.* 30. *Rom.* 5. 19. 2. *Cor.* 5. 21. dicitur, jus legis impletum eſſe, quòd lex infirma per carnem illud non poterat implere; certum quippe eſt, id jus cujus reſpectu lex impotentiâ laborabat, non potuiſſe dici pœnale, cùm e contrario lex ſemper potens fuerit ad vindictam adverſus hominem peccatorem unde relinquitur colligendum, impotentiam illam legis maximè non in maledictione prævaricatorum, ſed in impletione legis per inobedientiam conſiſtere. Quia verò præcipua in hac quæſtione difficultas in hoc argumento conſiſtit: ſi Chriſtus quatenus homo & Creatura debuit obedire legi & juſtitiam illam pro ſeipſo præſtare, ſequitur illam nobis non eſſe imputatam ad juſtificationem & vitam æternam; At verum prius, Ergo & poſterius ſunt qui in hoc argumento aſſumptum negant, eò quòd ſcil. non pro ſe ipſo ſed pro nobis homo ſit factus: At verò cruda nimis eſt iſta reſponſio, cùm ſemper natura humana Chriſti ſit Creatura ac proinde dependens, Ergò obedientiæ pro ſeipſa obnoxia. omiſſis ergò aliis reſponſionibus, negamus conſequentiam, eò quòd illam juſtitiam & obedientiam præſtando patri non ſimpliciter quatenus homo, ſed quatenus ſimul θεάνθρωπος potuit ſimul & ſuò ſatisfacere officio & ſimul nobis Juſtificationem mereri, quia etiamſi illam juſtitiam ùt homo debuerit patri ſuo, non debuit tamen tanquam Deus, ira ut ergo unâ & eâdem operâ ſibi & nobis vacare potuerit, maximè ſi conſideremus illam obedientiam ſummam & infinitam θεανθρώπου virtualiter & eminenter comprehendiſſe obedientiam quam Chriſtus debebat quatenus homo.

XXIV.

Fuit itaque ſatisfactio Chriſti pleniſſima & perfectiſſima adæquata legis poſtulato, non ex acceptantis gratiâ per acceptationem tantùm quæ ſolutio eſt

non nisi imaginaria, sed ex meriti sufficientia resultante ex infinita personæ dignitate, ut jam visum, adeoque & verè est reconciliativa & meritoria; quod notandum obiter tùm contra Socin. tùm contra Pontif. *Contra illos* qui solent Christum Redemptorem nostrum appellare, his quinque tantùm de causis 1. quòd salutis causæ viam nobis indicaverit. 2. quòd confirmaverit doctrinam suam morte suâ. 3. vitæ exemplari sanctitate. 4. Resurrectione. 5. potestate dandi vitam æternam. Nam præterquam quòd hæc omnia ex prædictis abundè jam reselli queant, insuper considerandum, si nostra Redemptio consistat demùm in indicatione salutis æternæ; totidem nobis fore redemptores quot prophetæ & Apostoli; quippe qui non modò viam salutis ostenderunt, sed etiam doctrinam suam morte confirmârunt, nec non exemplari sanctitate vitæ, æque ac sanguine suo obsignârunt; nec tamen Paulus desinit quærere à Corinthiis suis, An ipse scil. Paulus pro ipsis Crucifixus fuerit? *Contra Pontif.* perperam nobis obtrudentes satisfactiones suas humanas, in tantùm ut asserere non vereantur pœnitentiam peccatoris ob peccata sua dolentis, illaque castigationibus susceptis expiantis, Nec non justorum merita, in alterius commodum verti posse, adeòque non pro se tantùm sed & pro aliis satisfaciendi vim habere: observandum enim. 1. omnibus illis justis qualescunque etiam inter homines sint non competere illa quæ tùm ad satisfactionem, tùm ad merendi actum requiruntur, ùt ex antedictis patet. 2. quòd ut aliàs sæpe solent agere, quod facile foret ostensu, etiam hoc dogma ex Judæorum lacunis hauserint; patebit quidem hoc, si Judæorum ex ipsorum met libris retulerimus sententiam: huc pertinet vulgatum istud, *sit mors expiatio pro peccatis* כפרה מיתתי *sit mors mea expiatio pro peccatis meis, sit mors ejus expiatio pro peccatis ipsius, Addunt etiam, & ipsius & totius Israelis* מיתתו כפרה עליו ועל כל ישראל sit mors ejus pro ipso & pro toto Israele; sed & quibuscunque operibus bonis vim expiandi adscribunt unde author *Halicoth Olam* in principio sui libri istum in modum loquitur; *fortassis Jehova intuebitur exilium meum, atque erunt mihi Halicoth Olam loco oblationis & muneris mei ad expiandum reatum meum & pro piaculo peccati mei. & pag. 176. in Talmud. Jerosol. tractatu Sanhedrim, edit. venetæ* כן *colum. 4.* ubi disputatur quousque se extendat vis meritorum, quæ patriarchis tribuunt Judæi; *dicit Rabbi Ahha,* זכות אבות לעולם קיימת *meritum justitiæ patrum in perpetuum permanet*; ibi etiam R. Berachia narratur Deo hæc tribuisse verba, *filii mei si videritis meritum justitiæ patrum Deficere & meritum justitiæ matrum dimoveri, abite & recipite vos ad benignitatem.* De his & illis commodè dici potest Illud *Hoseæ cap. 10. 1. Israel multiplicat altaria pro multitudide palmitum, affabrè fecit Cippos & statuas pro bonitate terræ*; Altare Ecclesiæ unicum est Christus, in quo adoramus Deum & ipsis gratias agimus pro bonis factis. Multiplicat altaria, non tantùm qui alios Christos fingit, sed omninò qui ignorans justitiam Dei quâvis aliâ re Deo placere se putat; Cyppus est lapis constitutus in signum ad venerationem Dei in certo loco; Lapis Ecclesiæ est unus Christus, nempe ille solus *pro peccatis populi sui semetipsum obtulit Heb. 7. 27. nactus per*

proprium ſanguinem Redemptionem æternam, & ſic ingreſſus ſemel in ſuarium cœleſte Heb. 9. 12. ſolus etiam ſeipſum ſtitit Deo patri, efficaciam ſuæ oblationis repræſentaturus, & per illam nobis conſecuturus ſpiritus Sti gratiam & precum noſtrarum exauditionem *Joh.* 16. 7. *Eph.* 2. 18. *Heb.* 6. 19. 20. *unde & ſervare perfectè poteſt eos qui per ipſum accedunt ad Deum, ſemper vivens ut interpellet pro iis Heb.* 7. 25. Hinc denique *Advocatus noſter* apud patrem nominatur 1. *Joh.* 2. 1. & deſcribitur *Apoc.* 8. 3. 4. *per Angelum ſtantem apud aram cum thuribulo aureo cui dati ſunt ſuffitus multi ut offerat cum precibus ſanctorum omnium ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum.*

XXV.

Atque in hoc conſiſtit ſecunda muneris ſacerdotalis pars, nempe *Interceſſio*, hacque ratione Chriſtus eſt verus Aaron qui corporis ſui thymiama offerens pro populo ſuo orat, *Num.* 17 12. 13. hic eſt dilectus noſter Jonathan, ùt enim Jonathan in aulâ patris ſui ea loquebatur quæ ad ſalutem Davidis amiciſſimi fratris facerent 1. *Sam.* 19. 4 & ſeque. Ita frater noſter Jeſus Chriſtus in aulâ patris cœleſtis cauſam noſtram agit, preces noſtras ei commendat. Quemadm. enim ſacerdos per Urim & Thummim, negotium populi ad Deum referre tenebatur, medius inter utrumque exiſtens, ita Etiam Chriſtus mediator noſter preces noſtras non tantùm defert, ſed etiam ipſe apud patrem intercedit. ſummus ſacerdos habebat duos lapides quibus impoſita erant nomina duodecim tribuum filiorum Iſraelis: Ita Chriſtus quemlibet fidelem in ſpecie, eorumque res & neceſſitates Deo repræſentat duplici modo 1 ùt jam vidimus portat eorum peccata 1. *Pet.* 2. 24. Atque ita impletus typus hirci emiſſarii, cujus capiti peccata filiorum Iſraelis impoſita fuerùnt *Levit.* 16. 21. 2ò Chriſtus *in cœlo comparet apud faciem Dei pro nobis Heb.* 9. 24. *Interpellat pro nobis Rom.* 8. 34. *Advocatus noſter apud patrem eſt* 1. *Joh.* 2. 2. Chriſtus enim ſeſe in conſpectu patris offert, ſiſtitque eodem illo corpore in quo ſuo ſanguine in his terris peccata noſtra expiavit; tùm in voluntariam illam obedientiam intuens pater, non poteſt non propitiò vultu propter eundem omnes ad ſe confugientes recipere; ùt enim in judiciis, Rei habent advocatos qui apparent in Judicis conſpectu pro ſuis clientibus, eosque ab adverſariorum accuſationibus defendunt; Ita itidem Chriſtus apud patrem ſuum pro nobis agit. Quemadm. autem per ſacerdotem ſummum ſolum mediante Urim & Thummim Deus conſuli poterat, ita per ſolum Criſtum, Deum invocare & ad eum accedere poſſumus & debemus *Heb.* 4 14. 15. & jure quidem cùm ſolus etiam advocatus noſter apud patrem ſit 1. *Joh.* 2. 2. ſummoperè enim cavendum ne honor qui illi proprius eſt, aliò transferatur: Atqui ſcimus in papatu promiſcuè ſanctis attributum fuiſſe hoc munus, fatentur unum quidem eſſe ex multis, ſed non ſolum: Qui inter papiſtas plus habent verecundiæ, non negant Chriſtum eminere, ſed poſtea ingentem comitum turbam illi aſſociant; Atqui verba clarè ſonant, advocatum

esse non posse qui non sit idem sacerdos & propitiatio pro peccatis; sacerdotium porrò non nisi in Christum competit. Interea non tollimus mutuas sanctorum Intercessiones quibus inter se charitatem exercent, sed hoc nihil ad mortuos, qui ex hominum contubernio migrárunt, nihil etiam ad ea patrocinia quæ sibi confingunt, ne sint unius Christi clientes, nam & si fratres orant pro fratribus, unum tamen patronum omnes sine exceptione respiciunt. Dubium itaque non est, quin totidem Christo Idola opponant papistæ, quot sibi patronos comminiscuntur. Obiter verò notandum est, nimis crassè errare eos qui patris genibus Christum advolunt, ut pro nobis oret, Tollendæ sunt ejusmodi imaginationes quæ cœlesti gloriæ derogant: ac retinenda semper simplex doctrina, fructum mortis ejus hunc nobis constare, quòd sua intercessione & Deum nobis propitiet & preces nostras tàm sacrificii sui odore sanctificet, quàm patrocinii favore audiuvet.

XXVI.

Tandem & Messiam Regem esse debuisse Judæi nobiscum quoque sciunt, unde perpetuò apud illos phrasis, המלך משיח *Rex ille Messias:* plena testimoniorum in hanc rem scriptura S. est, *Ps.* 2. 6. & 45. 2. 4. & 70. 11. *Jer.* 23. 5. *Ezech.* 34. 23. & 37. 24. 25. *Osea* 3. 5. *Zach.* 9. 9. Adde, ubi Dux dicitur Messias & dominator *Gen.* 44. 10. *Esa.* 60. 4. *Dan.* 9. 25. & 2. 44. & 7. 11. 12. *Mich.* 5. 2. cùmque Regis sit, Regnum habere & subditos *Ps.* 2. 6. & 72. 2. eosque regere *Ps.* 2. 8. & 110. 3. & 72. 9. Atque contra hostes tueri, & hos debellare *Ps.* 2. 9. & 45. 6. & 72. 9. & 110. 1. 2. 5. Christus omnes regii muneris partes perfectissimè explet, atque eo excellentior Rex est, quòd sit Rex spiritualis & æternus: certè Regem illum Evangelium deprædicat. *Luc.* 1. 32. 33. *Mat.* 28. 18. & 4. 17. *Joh.* 18. 36. *Luc.* 22. 29. 30. *Mat:* 2. 2. & 27. 11. *Joh.* 1. 50 & 12. 13 1. *Cor.* 15. 25. Quemadmodum ad arcæ præsentiam prostratus fuit in terram Dagon Idolum Philistæorum præcipuum, capite & manibus abscisis 1. *Sam.* 5. 4. Ita & Christo in hunc mumdum veniente, idola corruere, opera Diaboli destrui, variaque idolatria per gentium vocationem ex animis extirpari debuit: quo ipso fuit impletum protevangelium in paradiso, semen nimirum mulieris contriturum fore caput serpentis *Gen.* 3. 15. & quemadm. Josua *cap.* 10. 24. dicitur processisse cum quinque Regibus in speluncâ absconditis; primùm quidem magnâ inter inimicos factâ strage, deindè Regibus in medium productis, traditisque populo ut eorundem colla conculcarentur pedibus tandemque suspensis ex quinque arboribus: Consimili ratione processit Christus cum inimicis suis (cum semine putà serpentis) pedibus suis eos conculcans: hoc sensu *Ps.* 2. 9. dicitur tanquam Rex é *Zione confracturus istos virgâ ferreâ, & ut vas figulinum dissipaturus eos.*

Christus itaque est Rex & Rex quidem. 1. summus, cùm sit Rex Regum, cujus authoritas infinitè excedit omnes alias authoritates humanas, unde etiam Imperator

tor Theodosius aliique nequaquam veriti sunt se istius vocitare vassalos. 2. solus ille est legislator in suo Regno quod est Ecclesia, quanquam enim reliquerit prudentiæ humanæ, instituere quasdam leges externas, Ecclesiæ bono congruas, hoc tamen nihil derogat vel authoritati vel juri quod soli Christo debetur, ferendi nimirum leges populo suo; quandoquidem illæ prædictæ leges humanæ non nisi auxilientur executioni illarum quas Christus nobis tulerat 3. Insuper authoritas ipsius est absoluta; quippe cujus voluntas vice legum est, citraque cujus voluntatem ne alias quidem leges quærere fas est; 4. Authoritas ipsius etiam pedibus ipsius subjectæ sunt, *Ps.* 110. 1. 1. *Cor.* 15. 27 imò & ipsi Angeli & throni, principatus & potentiæ ab ipso dependent. 5. Ea etiam ipsius est authoritas ut obligare conscientiam per suas leges possit, id quod leges aliàs neque Angelorum, neque hominum præstare possunt, nisi huic innitantur, & ab hâc derivent authoritatem suam. 6. potentia ipsius talis est, ut etiam sit vertere cordia, quippe quæ attingit cor hominis, ipsum gubernat atque flectit ad obedientiam suam, quod aliæ quæque potentiæ facere nesciunt, unde etiam in regno suo nullos habet subditos quorum non intimè possideat corda, nec ullos qui non animô ipsi obaudiant lubentissimô. 7. Insuper exactissimam & intimam quoque habet omnium subditorum suorum, omniumque necessitatum, cogitationum & actionum eorundem cognitionem, nec quicquam in ejus continegit regno quòd non penitissimè habuerit respectum. 8. Est etiam justitiæ Rex & Rex pacis, (qualis exititit Melchisedecus, id quod & ipsius nomen præ se tulisse supra vidimus;) vestiendo nimirum singulos subditos suos purpurâ justitiæ ad reddendos idoneos qui possint dignè comparere coram patre cœlesti, & albo innocentiæ vestimento ad reddendos illos securos contra omnes legis rigores. 9. Reges hujus mundi nascuntur & vitam intrant coronæ obtinendæ ergò, Christus autem mortuus est ad obtinendam suam, quemadm. alii Reges evehuntur ad gloriam mediante vitâ; ita é diametro Christus ad suam mediante morte. 10. Reges hujus mundi non sunt Reges nisi pro tempore, bodieque sedent in throno, crâs forsitàn à morte iterum inde expelluntur: Christus autem Rex est æternus, *Tuus enim Thronus ô æterne durabit in æternum* 11. Gubernat etiam & dirigit inimicorum suorum insidias & machinas ad propriam suam gloriam & Ecclesiæ suæ bonum. Ultimo & summatim talis est Rex qui singulos etiam subditos suos reges constituat, hincque intellectu proclive est, quo sensu Christus coram pilato & Judæis dixerit, *Regnum suum non esse ex hoc mundo*: Equidem quidem Judæi jam tum temporis statuerunt & etiamnum cum Christianis Messiam Regem fore statuunt, verùm nequaquam eodem modo, imò hinc Judæi se argumentum habere contra Jesum nostrum opinantur, quòd non fuit Rex talis, qualem ipsi Judæi Messiam futurum arbitrantur. Nam Regem illum debere esse mundanum & terrenum habere imperium censent: Contrà Christiani regnum Messiæ aliud istoque excellentius prædicant, videlicet spirituale plane & cœleste. De hoc res postulat ut singulatim agamus: magnum quippe Judæorum petit præjudicium, & argumentum causæ nostræ haud

 infimum.

infimum. Quare dicimus ea quæ de Messiâ, ejus officiis, item beneficiis apud prophetas occurrunt, loquutionibus sæpe & figuris rerum corporalium & terrenarum, non ita ad literam capienda vexandaque esse, sed interpretanda figuratè & spiritualiter על דרך משל dicunt Hebræi, ideſt, Christum spiritu & verbo suo in homines dominari debere, & suis passionibus expiatos à peccatorum pœnis, regere doctrinâ & spiritu suo per viam justitiæ & sanctitatis, tueri protegere ac consolari, donec eos perducat tándem in cœlestem vitam gloriamq; beatorum æternâm Certò hoc regnum longè præstantius terreno quovis eóque quòd Judæi Messiæ suo assignant, sito in regno & imperio quali, quali mundano, & certis locorum, temporumque finibus circumscripto neque admodum diu duraturo. Uti de eo ipsi satis abjectè tentiunt & loquuntur, Menasse lib. de resurrectione cap. 21. &c: Notandæ autem hic sunt duæ conclusiones quarum prima est, in scripturis sæpe figuratè poni, quæ mysticè aut spiritualiter exponenda sunt, præsertim apud prophetas. Neque hoc ipsi Judæi negare possunt. *Maimonidei in more Nevochim part. 2. cap. 49.* Varia adfert exempla locutionumparabolicarum in sacris Hoc de prophetis in genere, ac praesertim de Esaiâ observat, quando vaticinatur de gentis alicujus, destructione vel de populi alicujus interitu sic *Menasse in Gen. quæst. 30. pag. 38.* deinde *cap. 40. 3.* ubi agit de rationibus & modis parabolarum propheticarum *cap. 46.* de hyperbolis & metaphoris, quæ in prophetis occurrunt; Modum illum loquendi ex more & formâ humanâ desumptum, appellant Judæi דרך של בני אדם לפי דעתן של בני אדם בלשון בני אדם *Maimonid. in Jesude thorah sive de fundamentis legis cap. 1. 14.* Confer *authorem Halicoth Olam, tract. 4. cap. 1. & 3.* Neque necesse adeo scripturæ loca ad ostendendum illum loquendi modum adducere. notantur obiter *Esa. 24. 23. & 62 3. Ier. 5. 6. Oseæ. 2. 21. 23. 24. Amos. 8. 9.* secunda autem conclusio est quòd in negotio Messiæ, ubi hoc tractant argumentum prophetæ, non minus tali loquendi modo figurato utuntur passim *Ps. 72.* quem de Messiâ exponunt Judæi in *Sanhedrim cap. Chelek Targum, Aben Ezra, Iarchi, tum hic tum in Zach. 9. 1. R. Eliezer cap. 32. Menasse Ben Israel lib. 3. de resur. 259. & in Conciliatore Hispanico in Mich. 5. pag. 177.* Atque in illo psalmo dicitur *v. 3. montes proferent pacem populo, & colles in Justitia v. 6. descendet sicut pluvia in germen, sicuti gutteæ irrigantes terram v. 10. Tarsis Reges, & insulæ dona adferent, Reges Scheba & Saba cum muneribus accedent.* Atqui dudum est, quod illi Reges desierunt esse adde *vers. 15. 16.* ùt & pluria alia loca. Jam viso more loquendi prophetico per similitudines & formas parabolicas, mirum videri non debet, si eodem pacto intelligamus prolata de Messiæ regno prophetarum vaticinia non ad literam, sed spiritum, non humano sed Divino more cœlestique idque ob tres potissimum rationes; *1.* quia illa non possunt Corporaliter accipi & exponi. 2. multò dignius & convenientius spiritualiter explicantur. 3. & facilè ostendi potest, aliter non posse intelligi illa aut debere posse quàm spiritualiter; Nec etiam frustrà Messiam futurum fuisse Regem simul & sacerdotem in æternum

asseritur

asseritur *Ps.* 110. 4. *Esa.* 9 6. *Amplitudini illius principatus & pacis nullus erit finis*, quod regno temporali & terreno convenire non potest.

XXVII.

Hoc autem officium Regium etiamnum perpetuò exercet, dum semel ex morte suscitatus, inque cœlestem summæ majestatis thronum sublatus, & ad dextram Dei in Ecclesiis collocatus omnemq; potestatem in cœlo & in terra adeptus, magnificè etiamnumque ubique imperat, & quidem omnia pro arbitrio suo sic administrat, ut inprimis saluti fidelium suorum consulat, dum fideles suos subditos, adversus satanæ, Tyrannorum, aliorumque omnium inimicorum, artes, fraudes, insidias, vim ac potentiam per spiritum suum, Angelosque administros, potenter in hac vita munit, protegit & defendit, donec in extremo judicio hos omnes aboleat, *Mat.* 25 30 & illos in gloriam suam cœlestem atque immortalem assumat, æternumque beatos reddat.

Ex occasione horum proponi solet inter Theologos quæstio hæc, An Ergo regnum Christi Mediatorium sit cessaturum ab ultimo die judicii? Dependet autem hæc quæstio à debitâ distinctione inter regnum Mediatorium, hôc vel illo modo consideratum h. e. hâc vel illa formâ; ita ut dicamus cessaturum quidem secundùm quid seu quoad formam quam nunc obtinet, quia debellatis & triumphatis omnibus hostibus & peccato, non regnabit amplius per verbum suum, per gratiam conversionis, nec denique per formam defensionis: sed tamen non ideo cessabit absolutè & quoad formam potentiæ regiæ essentialem, quia electos sibi inviolabili dependentia habebit subditos & super quos tunc per gloriam regnabit, quâ Ecclesiam suam maculæ omnis expertem, Deo patri ac sibi etiam proinde in æternum perfectissimâ Charitate servientem sistet.

Et hoc respectu dicimus, regnum Christi Mediatorium futurum æternum ex *Esa.* 9. 6. *Dan.* 2. 44. & 7. 14. 27. *Luc.* 1. 33. Quia verò inter objectiones urgetur ex 1. *Cor.* 15. 15. *eum regnaturum usque quo inimicos subjecerit pedibus suis.* Resp. 1. Illud non designare finem omnimodam regni, sed ad summum tantùm regni considerati illâ priori formâ de qua diximus. Deinde falsum est, illam vocularn *usque quò* denotare finem futurum, quasi ab eo termino regni continuatio excluderetur, nam variæ in scripturâ sunt ejusmodi locutiones, in quibus illud *usque quò*, terminum aliquem quidem designat non finem. Ita u. g. *Gen.* 28. 15. *Cùm dicit Deus* Jacobo, *non deseram te usquè quò perfecero id quod locutus sum tibi*: non vult indicare: Ergo postea te deseram. videantur adhuc plurimæ ejusmodi locutiones 1. *Sam.* 15. 35. *Joh.* 15. 17. *Rom.* 5. 13. 14. Denique quando dicitur v 28 ejusdem *cap.* 15 1. *Cor.* quod Christus subjicietur patri, hoc etiam ex parte intelligendum mysticè, consideratus ceu caput suæ Ecclesiæ, in omnibus suis membris patri quoque plenissimè subsit, nullo amplius eorum in terris repente aut inter hostes fros

ſpirituales illos Amalekitas, ſed in cœleſti degente Jeruſalem, quæ genuina fidelium patria eſt; nam ut *Tertullianus*, *peregrini hujus mundi ſumus*, *Cives verò ſupremæ Ieruſalem*: cujus proinde πολίτευμα perpetuò in animo habere debemus, in cœlis jam agentes dum adhuc ſumus in terris, memores nobilis illius apud Laërtium & aliòs dicti Anaxagoræ, é quo cùm non nemo quæreret, *nulla ne tibi patria eſt cura?* *reſpondit* ἐμοὶ γὰρ καὶ λίαν τῆς πατρίδος, δείξας τὸν οὐρανὸν: bona verba, mihi verò imprimis, patria curæ eſt, digitumque in cœlum intendit.

FINIS.

TRINITY COLLEGE LIBRARY CAMBRIDGE